



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
2 A
13

Proibito

P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ PROfessoris, liber de moribus veterum Gallorum,

AD

CAROLVM LOTHARINGVM Cardinalem.





PARISIIS,
Apud Andream Wechelum, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco: Anno Salutis
1559.
Cum priuilegio Regis.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum est authoritate regia, nequis alius præter Andream Wechelum, iuratum in alma Parisiensi Academia Librarium hunc P. Rami librum de moribus veterũ Gallorum, ad Carolum Lotharingum Cardinalem, ante decennium ab æditione proximum, in hoc Francorũ regno imprimat, néue alibi impreßum vẽdat. Ac si Regij diplomatis sentẽtia operis initio præfigatur, finíue postponatur, vt omnibus clarum, notum, indictum habeatur. Secùs qui faxit, & libris ipsis, & mille librarũ Paris. multâ pœnas pendito. Datum Rhemis, Regio consensu subsignatum, Do. Villamoro supplicum libellorum magistro præsente. 3. Id. Iun. 1557.



P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ PROfessoris, liber de moribus veterum Gallorum.


AD *Carolum Lotharingum Cardinalem.*

INTEREA (MECOENAS) dum grauissimis bellorũ curis occupatus pro fratris victorijs cõsilio & pruden-

tia fauſtum & felix velut auſpi-
cium facis, muſæ quoque no-
ſtræ(quod fortaſſe riſurus es)e-
tiam in vmbra & otio, belli-
cum tamen neſcio quod ſtudi-
um amauere. Prælegi profeſsi-
one publicâ è Cæſaris Com-
mentarijs præcipuos, reliquos
priuato ſtudio perlegi, ſimili-
úmque generum locis compa-
randis, quædam mihi præter il-
lum prælectionis quotidianum
fructum, ſeparatim decerpen-
da propoſui: Huius igitur vbe-
rioris prouentus teſtes duos ad
te mitto, alterum de moribus
veterum Gallorum, alterum de
militia Cæſaris: prior iſte ma-

iorum patrúmque nostrorum vitam, prælia, disciplinas, religiones, iura Rerumpub. & leges commemorabit, auorúmque illorum memoriam tibi quidem non ignotam (qui fontes vnde hausimus, per te ipse nosti) sed tamen (vt sperò) recordatione ac renouatione cognitionis & scientiæ non iniucundam studiosè & explicatè recensebit. Amo patriam, sicuti debeo, eiúsque præclaras laudes illustrari celebraríque maximè cupio: argumentum eruditis ingenijs gratissimum & imprimis propositum: sic à Græcis Græciam, Italis Italiam

cæteríſque nationibus patriam laudibus ornatam, edita monimenta declarãt. Equidem moralem iſtam patriæ hiſtoriæ cõmentationem ad extremæ ſenectutis ſolatium mihi reſeruaueram, ſed interim quod vltrò Cæſar obtuliſſet, deſpiciendum non putaui: Itaque ſi vacabit, Cæſarianum hunc non potius diligẽtiæ noſtræ teſtem, quàm præconem de veterum Gallorum moribus prædicantem audies. Vale, Lutetiæ è Prælleo noſtro, quinto Idus Decembris. 1558.



P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ PROFESsoris, liber de moribus veterum Gallorum,

AD

Carolum Lotharingum Cardinalem.



ALLIA quondam Rheno, Alpibus, mari Mediterraneo, Pyrenæis montibus Oceanóq; claudebatur: superatis enim Alpibus, Gallia ad Rubiconem perpetuo Apennini iugo Superóque mari postea facta est, sicut Asiatica Galatia superatis Asiæ populis: Europæa itaque Gallia Alpibus mediis in Vlteriorem & Citeriorem diuisa est:



Illa nobis Vlterior, Togata, tanquam Romana à Romanis ipsis dicta est: Citerior ab iisdem partim Bracchata partim Comata. Bracchata Iulij Cæsaris tempore Alpibus, Rhodano & citra Rhodanum, Pyrenæum versus, Volcis, Aremoricis, Rhutenis, Heluiis comprehendebatur, vt è septimo Commentario percipi potest. Hæc Gallia, modò Prouincia, modò Narbonēsis appellatur. Comatam incolūt Aquitani, à Pyrenæis mōtibus ad Garumnam, deinceps Celtæ ad Sequanam & Matronam, reliquos omnes ad Septentrionem fines Belgæ obtinent. Quibus verò moribus & institutis antiqua Gallia ad Iulium vsque Cæsarem: quibus deinceps noua ad nostram ætatem steterit, magna ac difficilis quæstio fuerit, si quis accuratam tēporum omnium historiam desideret: At si quis eâ diligentiâ contentus erit, quæ res idoneis authoribus & fide dignis testatas generatim demonstret, non iniucunda fortasse legenti, nec illiberalis oblectatio fuerit. Hac igitur conditione atque lege, Galliæ mores è variis scriptoribus, sicuti rerum dispersarum memoria suppetet, recognoscere summatímque subducere statui: Et quidē primùm antiquæ Galliæ, deinde (si modò prius illud assecuti simus) nouæ mores exquiremus. Veteris igitur Galliæ speciem quandam ac formam Cæsar præcipuè sexto belli gallici Commentario comprehendit, sed & totis commentariis

tariis alia quędã aſperſit quę ſparſim carpentẽ & vndique ex aliis quicquid ad eiuſdem argumẽti vberiorem & illuſtriorem noticiam faciat, colligentem repleri propè iuſtâ propoſitæ quæſtionis explicatione & ſcientiâ licebit: tametſi nõ ignoro Græcos Cæſarem ſecutos vel ignorantiâ linguæ Latinæ, vel neſcio quâ aliâ negligentiâ pleriſque locis oſtẽdiſſe quàm parum percepta tenerent, quæ totis Cæſaris commentariis continerentur. Cæſarem itaque primùm tanquam ſummum ac propè ſingularem hiſtoriæ Gallicæ authorem ac magiſtrum: tum reliquos, vt ab eo ferè aliquid ſumunt & explicant, hactenus ſequemur. At quoniam præcipua Britanię Germanięque loca à Gallis occupata ſunt, vt ſuo loco percipietur, magnáque ideò fuerit Britannorum & Germanorum cum Gallis ſimilitudo, vt è Cæſare demonſtrabitur, gentium illarum ſimiles mores comparare, inſtituto conſentaneum putauimus, præſertim cùm Cæſar mores Galliæ Germaniæque ſibi comparandos eſſe duxerit, & ſic Strabo (vt ipſe ait libro quarto & ſeptimo) cùm Germanos à Romanis propter iſtam morum ſimilitudinem videret appellatos tanquam veros Gallorum fratres, Gallorum veterum mores à Germanis ferè repetiuerit: tametſi Tacitus proprio nationis & à ſeipſis inuẽto nomine Germanos appellatos eſſe exiſtimet.

Vndecũque verò nomen acceptum sit morum certè magna germanitas apparebit. Quare genera ipsa morum quò quidque referatur, initiò constituamus. Plato tres principes corporis humani partes esse ait, tres quoque in iis principes animæ facultates locatas esse, cupiditaté subter præcordia, iram in corde, rationem in capite tãquam in arce: Itaque tres virtutis etiam species his regendis præesse, temperantiam hepatis cupiditati, fortitudinem cordis iracũdiæ, prudentiam rationis cogitationi atque iudicio, quarum virtutum communis consensus & sui cuiusque officij veluti soni cõcẽtus, iustitia dicatur. Quãobrem ista quoque gallicorum morum quadripertita distributio nobis erit. Sed à Cæsare Cæsarísq; velut interpretibus Diodoro, Liuio, Strabone atque aliis multa de Gallis commemorantur: quorum authorũ verba ipsa si continua proferrem, genera rerum frequenter iteranda aut miscenda essent: sententias igitur potiùs sequar, sicubi verba disiungere coactus ero. Ergo nobis ad temperantiam abstinentia cibi, potus, veneris, modus orationis, vestitus habitationísque frugalitas, lusus, oblectatio, communicatio rerum ac facultatum suarum separentur.

Quid igitur? quis veterum Gallorum in cibo & potione victus? Magna pars (aiunt Diodorus & Strabo) in lacte & varia carne, præcipuè autem suilla recenti & salsa. Iuxta eos ignes fiunt,

inque

inque iis ollę sunt & verüa plena carnibus: viros bonos melioribus honorant, quemadmodum poëta Aiaci scribit impensum ab optimatibus honorem, quando singulari Hectorem certamine vicit. Eundē victus honorem Cæsar attribuit Britannis & Germanis, Britanni interiores (ait quinto libro) plerique frumenta non serunt, sed lacte & carne viuunt: leporem tamen & gallinā & anserem gustare fas non putant: hæc tamen alunt animi voluptatísque caussâ. De Germanis autē similiter Cæsar loquitur sexto libro, Agriculturæ non student, maiórque pars victus eorū in lacte, caseo, carne. Sed Germaniæ victum Tacitus multò pleniùs, Sua quémque mater vberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur, dominum ac seruum nullis educationis deliciis dignoscas, inter eadē pecora nudi ac sordidi in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat: Cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretū, sine apparatu, sine blandimentis expellūt famem. Ergo hic cibus fuit.

Quid potus? quæ temperantia fuit? Potus Gallorū (ait Diodorus) ex ordeo, qui gallicâ linguâ zythū dicitur, & ex aqua, vnde fauū mellis lauerint. Germanorū etiam potus consimilis à Tacito describitur, Potui (ait) hūmor ex ordeo & frumento in quandā similitudinem vini corruptus: proximi ripæ & vinum mercātur. Gallorum ve-

tò plerique (aiunt & Diodorus & Strabo) humi accumbunt, & cœnant assidentes in canum aut luporum pellibus: fictilia habent in vsu densa ac floribus distincta: ministrant eis pueri iuniores ætate tenera. Similiter apud Tacitum, Germani statim è somno (ait) quem plerũque in diem extrahũt, lauantur, sæpius calida, vt apud quos plurimùm hyems occupat. Lauti cibum capiũt, separatæ singulis sedes, & sua cuique mensa. Hactenus igitur seuera antiquorum morum frugalitas, vnde illi artus eáque corpora quæ Tacitus in Germanis admiratur: hinc etiam eadem proceritas Gallorum, quibus ideò prę magnitudine corporum suorum breuitas Romanorum contemptui erat, vt est secundo belli Gallici. Sedenim potionis intẽperantia atque ebrietas à Platone Gallis obiicitur primo Legum, & Diodorus sic loquitur, Vino tamen præter modũ adeò delectantur, vt à mercatoribus importatum purum bibãt, nimióque potu ebrij aut in somnum incidant aut in insaniam. Quo fit vt mercatores Italici plures quæstu ducti vinum tum nauiibus, tum per terram curribus deferentes, pincernam puerum mercentur pro vini amphora. Nec ebrietas tantùm, sed ebrietatis comes rixa & contentio ab eodem authore notatur, Consueuerunt (ait) quoque sumpto cibo ad verborũ prout casus intulit cõcertationem surgentes & prouocatione certare inuicem nullâ habitâ vitæ curâ.

curâ. Sic igitur Galli veteres à Græcis illis reprehenduntur, atque in eiusdem culpæ societatem Germani, fratres à Tacito vocantur, paríque & ebrietatis & contentionis nomine accusantur. Aduersus sitim (ait) nō eadem tēperantia. Diem noctémque continuare potando nulli probrū: Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum cōcupiscunt, haud minùs facilè vitiis quàm armis vincentur. Crebræ, vt inter vinolentos rixæ, rarò cōuitiis, sæpiùs cæde & vulneribus trāsiguntur. Hæc igitur primis hisce moribus nota fœditatis inuritur, quęq; etiam apud Germanos nulli probro fuerit, tāquam vitium vitiosi nihil habuerit. At Gallorū lōgè alia persuasio publica fuit, publicísque gētis moribus aduersus istam priuatorū intemperātiam grauis fuit & seuera animaduersio. Fortitudinis igitur gallicæ caussā ab ista temperātiæ, cautione repetitam, à Cæsare audiamus, Omniùm (ait Cæsar libro 1. de Belgis, Celtis, Aquitanis) fortissimi sunt Belgæ, propterea quod à cultu atque humanitate prouinciæ absunt, miniméque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effœminandos animos pertinent, important. Et in eodem libro de Neruiis fortissimis Belgarum, Quorum de natura (ait) moribusque Cæsar cùm quæreret, sic reperiebat, nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini, reliquarúmque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quòd

his rebus relanguescere animos, corúmque remitti virtutem existimarent. Quamobrem priuatam paucorum intemperantiam videmus publicis institutis damnatam esse, temperantiámque partis huius valde cultam atque honoratã. Cenei (ait Strabo libro septimo) viri sapientis persuasione, inducti Getæ vites totis finibus suis exciderunt, vitámque sine vino tolerauerunt. Id maiores illi nostri meliùs, quòd ne seri quidem vites aut vinum importari voluerunt: Itaque & Diodorus pro sua ætate rectè affirmat in Gallia Comata vinum minimè produci. Cæsar quarto libro Sueuos Germaniæ, Neruiis Galliæ temperantiâ pares efficit, Vinum ad se omnino importari non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effœminari arbitrantur.

Ergo hæc vitæ victúsque temperantia fuit. Temperantiæ magna pars in Veneris abstinentia ponitur, cuius intemperantiam etiam publicè permagnam Græci scriptores Diodorus, Strabo, Bardesanes apud Eusebiũ in Gallis notauere, Aristoteléque iudice tanquam bellicosis nationibus ingeneratam, ideóq; in fabulis Venerem cum Marte copulatam. At Cæsar nihil hac de re: à quo tamen contrarię tẽperantiæ plena laus Germanis attribuitur. Qui diutissimè, ait, impuberes permanserunt, maximam inter

suos

ſuos ferunt laudem. Hôc ali ſtaturam, ali vires neruóſque confirmari putant. Intra annum verò viceſimum, fœminę notitiam habuiſſe in turpiſſimis habent rebus, cuius rei nulla eſt occultatio, quò d & promiſcuè in fluminibus perluuntur. Impuberes autem diutiùs alios aliis hac de cauſſa fieri Hippocrates de natura pueri præcipit, quòd Venere caro rareſcat cutíſque aperiatur, vnde pubes pilos emittit, contrariáque cauſſâ Eunuchos nunquam pubeſcere. Sed hãc eandem temperantiæ laudem Tacitus nequaquam in Germanis prætermiſit, Sera iuuenum Venus, eoque inexhauſta pubertas: nec virgines feſtinantur, eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validęque miſcentur, ac robora parentum liberi referunt. Ad eiuſdem virtutis moderationem connubia pertinent, quorum gallici mores paulò indiligentiùs à Cæſare explicantur, Viri, ait, quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant: huius omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur fructúſque ſeruantur: Vter eorum vitâ ſuperarit, ad eum pars vtriuſque cum fructibus ſuperiorum temporũ peruenit: Viri in vxores ſicuti in liberos vitæ necíſque habent poteſtatem: & cùm paterfamilias illuſtriore loco natus deceſſit, eius propinqui conueniunt, & de morte, ſi res in ſuſpicionẽ venit, de vxoribus in ſeruilem

modum quæstionem habent, & si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Lex dura videbitur, virum vxoris ac liberorum tanquam seruorum dominum effici: Etenim (vt philosophi docēt) paterfamilias vxori ac liberis velut ingenuis imperat: non eodem tamen imperij genere, sed vxori politicâ, liberis regiâ authoritate. Lex, inquam, dura illa videbitur, sed Romana tamen lex à Romulo cōdita, vt filius toto vitæ tempore in patris potestate esset, iusque esset à patre filium castigari, verberari, operi rustico ablegari, vendi, necari. Rex idem de vxore supplicium sumi voluit, si vinum bibisset: Sed tamen hæc Cęsar Commentario sexto, qui libro quinto Britannorum connubia alia quædam exponit, Vxores habēt deni duodeníq; communes inter se, & maximæ fratres cum fratribus & parentes cum liberis: Sed qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primùm virgines quęque ductę sunt. Atque hæc de Britannis: At Germanorū hac etiam laude temperantiam Tacitus valde insignem describit, Dotem, ait, non vxor marito, sed vxori maritus offert. Intersunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delitias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comatur, sed boues & frenatum ęquum & scutum cum framea gladióque: In hæc munera vxor accipitur, atque inuicem ipsa armorum aliquid viro affert

ro affert: hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos cõiugales deos arbitrantur: Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes extráque bellorum caſus putet, ipſis incipiẽtis matrimonij auſpiciis admonetur venire ſe laborum periculorúmque ſociã, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſurámque: hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant: Sic viuendum, ſic pereundum, accipere ſe quæ liberis inuiolata ac digna reddat, quę nurus accipiãt, rurſúſque ad nepotes referant: Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptæ: Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria quorũ pœna præſens & maritis permiſſa: Acciſis crinibus nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnẽ vicum verbere agit: publicatæ enim pudicitiæ nulla venia: non formâ, non ætate, non opibus maritum inuenerit: Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi, ſæculum vocatur: melius quidem eæ ciuitates, in quibus tantùm virgines nubunt & cum ſpe votóque vxoris, ſemel tranſigitur: Sic vnum accipiunt maritũ, quo modo vnũ corpus vnámque vitam, ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium amẽt: Numerum liberorũ finire aut quenquam ex agnatis necare, flagitiũ habetur, plúſque ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ

leges. Sed de Germanorum matrimoniis Tacitus hactenus. Reprehendit etiam Diodorus in Gallis quandam linguæ intemperantiam. Sermone (ait) vtuntur breui ac subobscuro, multáque ex animo dubia loquuntur, plurima ad iactantiam in suam laudem dicunt & ad cæterorum contemptum. Minaces sunt ac detractores opinionéque inflati. Iactantia verò illa à Strabone est animaduersa: Atque ea nimirum gallica ostẽtatio est, quę à Cęsare septimo libro dicitur, & multis reliquorum librorum exemplis approbatur. Talis est primo libro Heluetij Diuiconis elatio dum Heluetiorum virtutem extollit, Romanæ cladis memoriam obiicit, Cæsarémque minitãdo admonet ne committat, vt is locus vbi Romani constitissent, ex calamitate populi Romani, internecione exercitus nomẽ caperet aut memoriam proderet: Talis est Ariouistus Rex Germanorum, cùm ad postulata Cæsaris pauca respondeat, de suis virtutibus multa prædicet, neminem secum sine sua pernicie contendisse, cùm vellet Cæsar congrederetur, intellecturum quid inuicti Germani & exercitatissimi in armis possent: Sic Vercingetorix in concione iactat se vnum, consilium totius Galliç effecturum, cuius cõsensui, ne orbis quidem terrarum possit obsistere. Sed de his satis, venio ad corporis cultum. Comas (ait de Gallis Diodorus) quãuis habeant naturâ rufas: studio tamen augẽt naturæ colorẽ:

Calamistro

Calamiſtro capillos inflectunt à fronte illos ad ceruicē reiicientes, vt Satyris aſpectu puerísque appareant persimiles: Capillos arte efficiūt craſſiores, vt nihil differant ab equorum iubis. Idem ferē de Sueuis Germanis Tacitus, Inſigne, gentis obliquare crinem nodóque ſubſtringere: ſic Sueui à cæteris Germanis, ſic Sueuorum ingenui à ſeruis ſeparantur: ſic in aliis gentibus ſeu cognatione aliqua Sueuorū, ſeu (quod ſæpe accidit) imitatione rarum & intra iuuētæ ſpatium: apud Sueuos vſque ad caniciem horrentem capillum retro ſequuntur: ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant: principes & ornatiorem habent: ea cura formæ, ſed innoxię: neque enim vt amēt amentúrue in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti vt hoſtium oculis ornātur. Gallicum cultum Diodorus perſequitur. Barbam (ait) quidam radunt, nonnulli nutriunt parcē: Nobiles, genas radunt, barbam verò adeò ſinunt creſcere, vt operiant corpora. Item, Veſtes ad terrorem intonſas ac coloris varij ferūnt, quas illi vocant bracchas. Sagula gerunt virgata, hyeme quidē craſsiora, æſtate ſubtilia. Bracchas hîc Diodor⁹ nominat, vnde Romani Bracchatam Galiā nominauere: Denique Gallos hic author aſpectu terribiles ideò efficit. Eadē Strabo libro quarto de comis, ſagis, intonſa & aſpera veſte, prolixis feminalibus, amictibus ſciſsis & vix dimidias nates tegentibus etiam ſcribit.

Sed inquam de comis hæc ſcribunt authores illi: hæ nempe ſunt Gallorum & Germanorum rutilatæ comæ quę Liuio & Diodoro dicuntur. Eadem ferè quinto libro Cęſar de Britannis ait, Omnes verò ſe Britãni glaſto inficiũt, quod cæruleũ efficit colorem: atq; hoc horribiliore ſunt in pugna aſpectu capilloq; ſunt promiſſo & omni parte corporis raſâ, præter caput & labrum ſuperius. Pergit Diodorus gallicũ corporis habitum velut aureum narrare, Vniuerſa Galatia argento caret, aurum eius abſque opificio aut labore aliquo præbetur naturâ: nam cùm fluminum decurſus difficiles flexus habeat, ſuperans ripas à montibus fluens aqua, arenam auream paſsim per campos eiicit, glebis poſtmodum in quibus aurum ſplendet attritis aquáque lotis, demptâ terrâ, reliquum in fornacem cõiectum fundunt: Hoc modo liquefacto puróque educto auro, ad ornatum corporis mulieres viríque vtuntur. Etenim & digitos annulis, & brachia armillis, & pectora thoracibus, & colla torquibus, & tunicas zonis aureis exornãt. De torquibus & manicis aureis Polybius etiam libro ſecundo meminit: & Strabo libro quarto de fodinis auri præcipuis quidem apud Tarbellos. Hic verò ornatus, à Strabone tribuitur his qui in honore ac dignitate conſtituti eſſent. Sed huius magnificentiæ longè diſsimilem in Germanis inopiam Cæſar & Tacitus commemorant. Pel-

libus


libus (ait Cęsar) aut paruis rhenonum tegumentis vtuntur magnâ corporis parte nudâ. Sed Tacitus de toto germanici cultus genere multò copiosiùs. Argentum (ait) & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito: nec tamen affirmauerim nullam Germaniæ venam argentum aurúmue gignere, quis enim scrutatus est? possessione & vsu haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa Legatis & principibus eorum muneri data non in alia vtilitate quàm quæ humo fingũtur (quanquã proximi ob vsum commerciorum, aurũ & argentum in pretio habent, formásque quasdã nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligũt:) interiores simpliciùs & antiquiùs permutatione mercium vtuntur: Pecuniam probant veterem & diu notam, Serratos Bigatósque: argentum quoque magis quàm aurum sequũtur, nulla affectatione animi, sed quia numerus argenteorũ facilior vsui est promiscua & vilia mercantibus. Item, Tegumen omnibus sagum, fibulâ, aut si desit, spinâ consertum: Cætera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt: Locupletissimi, veste distinguuntur, non fluitante sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente: Gerunt & ferarum pelles proximi ripæ negligenter, vlteriores exquisitiùs, vt quibus nullus per commercia cultus: Eligunt feras & detracta velamina spargunt maculis pellibúsque bellua-

rum quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit: nec alius fœminis quàm viris habitus, nisi quòd fœminæ sæpiùs lineis amictibus velantur eósque purpurâ variant, partémque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos, sed & proxima pars pectoris patet. Atque hic corporis cultus habitúsque in Gallis plùs elegantiæ, in Germanis parsimoniæ plùs habet. Sequitur è moribus huius primi generis, domicilij & habitationis modus. Domicilia verò Gallorum (ait Strabo) sunt è pluteis & cratibus permagna, testudinum instar, multis arũdinibus aquaticis contexta: sic Cęsar quinto belli Gallici ait, casas in castris Q. Ciceronis more gallico stramentis fuisse tectas: & idem sexto demonstrat, nobilium Gallorum ædificia ferè in syluis aut fluminum ripis fuisse, cùm de Ambiorigis ædificio circundato syluâ loquitur, Vt sunt ferè, ait, ædificia Gallorum, qui vitandi æstus caussâ plerunque syluarum ac fluminum petũt propinquitates: Oppida verò fossâ, vallo mœnibusque munita, Aquitanis, Celtis, primisque Belgis fuisse Cęsar perspicuè ostẽdit: Vlterioribus autem Belgis & Septentrioni vicinioribus, vt Morinis, Neruiis, Aduaticis, Menapiis, Eburonibus cuiusmodi oppida fuerint quæri & disceptari meritò fortasse posit: Plerósq; Belgas illos ortos esse à Germanis Cæsar libro secundo commemorat. At Germanis

non vrbes, ſed ne vicos quidem in noſtrum certè morem fuiſſe Cæſar affirmat, vt paulò pòſt è Germanica bonorum æquatione percipietur, quos mores Germanorum fuiſſe ætate quoque ſua Tacitus affirmat, Nullas (ait) Germanorum populis vrbes habitari ſatis notum eſt, ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes: Colunt diſcreti ac diuerſi vt fons, vt campus, vt nemus placuit, vicos locant non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: Suam quiſque domum ſpatio circundat, ſiue aduerſùs caſus ignis, remedium, ſiue inſcitiâ ædificandi: Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum vſus: Materiâ ad omnia vtuntur informi & citra ſpeciem aut delectationem. Quædam loca diligétiùs illinunt terrâ ita purâ ac ſplendente, vt picturam ac lineamenta colorum inuitet: Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, eóſque multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hyemi ac receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiuſmodi locis molliunt, & ſi quando hoſtis aduenit, aperta populatur: abdita autem & defoſſa aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt, quòd quærenda ſunt. Idem ferè etiam Cæſar de Britannis, Oppidum Britãni vocant (ait libro quinto) cùm ſyluas impeditas vallo foſſáque munierunt, quò incurſionis hoſtium vitandæ cauſsâ conuenire conſueuerunt. Ac ſi quando Cæſar Sueuorum oppida quædam nominat, ea, opinor, intelli-

gentiâ nominat. Ad Belgarum igitur extremorum oppida redeo & quæro Britannicáne ista Belgis extremis oppida fuerint. Primùm de Morinis, qui longè alia ratione (ait libro tertio) ac reliqui Galli, bellum gerere instituerũt: Nam quòd intelligebant maximas nationes quæ prælio contendissent, pulsas superatásque esse, continentésque syluas ac paludes habebant, eò se suáque omnia contulerunt: Ad quarum initium syluarum cùm peruenisset Cæsar castráque munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere Romanis, subitò ex omnibus partibus syluæ euolauerunt & in Romanos impetum fecerunt. Romani celeriter arma cœperunt eósque in syluas repulerunt & cõpluribus interfectis, longiùs impeditioribus locis secuti, paucos ex suis desiderauerunt: Reliquis deinceps diebus Cæsar syluas cædere instituit: & nequis inermibus imprudentibúsque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam quæ erat cæsa, conuersam ad hostem collocabat, & pro vallo ad vtrumque latus extruebat. Incredibili celeritate, magno spatio paucis diebus confecto, cùm iam pecus atque extrema impedimenta à Romanis tenerentur, ipsi densiores syluas petebant. Hæc Cæsar de syluis Morinorum pro oppidis. Deinde anno proximo Morini, cùm propter paludum siccitatem, vt est quarto libro, quò se
 recipérent

reciperent non habebāt; quo perfugio superiore anno fuerāt vsi omnes ferè in potestatem Labieni venerūt. In duobus his bellis nullum prorsus præter syluas ac paludes oppidum nominatur: Simile de Menapiis est, in quorum fines Romanę legiones ducibus Fabio & Cotta ductę, vt est quarto libro, omnibus Menapiorū agris vastatis, frumentis succisis, ædificiis incensis redierunt, quòd Menapij se omnes in densissimas syluas abdiderāt: Cæsar ipse cum quinque legionibus ad eos postea profectus est. Illi nullâ (ait Cęsar libro sexto) coactâ manu, loci præsidio freti, in syluas paludésque confugiunt suáque eòdem conferunt. Cęsar partitis copiis cùm C. Fabio Legato & M. Crasso Quæstore: celeritérque effectis pontibus adit tripertitò, ædificia vicósq; incēdit, magno pecoris atque hominū numero potitur: Quibus rebus coacti Menapij legatos ad eum pacis petendę caussâ mittunt. Hic nullū prorsus oppidum nominatur, nedum expugnatur: Neruiorū etiam oppida talia diligentiùs attendenti fortasse videbuntur, Neruij (ait Cæsar secundo libro) antiquitùs cùm equitatu nihil possent (neque enim ad hoc tempus ei rei student, sed quidquid possunt, pedestribus valent copiis) quò faciliùs finitimorum equitatum, si prædandi caussâ ad eos venisset, impedirent, teneris arboribus incisis atque inflexis, crebrísque in latitudinem ramis enatis & rubis sen-



tibúſque interiectis effecerant, vt inſtar muri hæ ſepes munimenta pręberent, quò non modò non intrari, ſed ne perſpici quidem poſſet: Quinetiam eodem bello Neruiorum mulieres, quíque per ætatem ad pugnam inutiles viderentur, nullum in oppidum mœnibus cinctum, ſed in eum locum coniecti ſunt, quò propter paludes & ęſtuaria exercitui aditus non eſſet. Hoc primo Neruico bello nullam Neruiorum vrbē muris cinctam agnoſcimus, eadémque cōiectura eſt ſexto rurſus libro, Cæſar quatuor legionibus coäctis, de improuiſo in fines Neruiorū cōtendit, & priuſquam illi aut cōuenire aut profugere poſsēt, magno pecoris atque hominum numero capto, atque eâ prædâ militibus conceſsâ vaſtatíſque agris, in deditionē venire atq; obſides ſibi dare coëgit. Hic, inquā, alter de Neruiis locus magnam coniecturam affert nulla his oppida tum fuiſſe niſi Britannica. Talia Aduaticorum item oppida quæ dicuntur ſecundo libro à Cæſare, videntur fuiſſe, Cunctis oppidis (ait Cæſar) caſtellíſque deſertis, ſua omnia in vnum oppidum egregiè naturâ munitum contulerunt, quod cùm ex omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupes deſpectúſque haberet, vna ex parte leniter accliuis aditus in latitudinem nō amplius ducentorum pedum relinquebatur: Quē locum duplici altiſſimo muro munierant: tum magni ponderis ſaxa & præacutas trabes in muro

ro collocarant. Hîc Cæsar murum ab vna tantùm parte oppidi describit. De Eburonum autem gente (qui ipsi etiam à Cæsare Germani appellantur secundò libro) videtur etiam illud multò probabilius: Hi authore rege Ambiorige Sabinum & Cottam cum quindecim cohortibus ad Varutam deleuerant, vt est quinto libro, qua iniuria grauiorem Cæsar nullam vnquam acceperat. Itaq; ad huius cladis vltionem, Eburonum gentem internecione perdere funditúsque extinguere statuit, vt est sexto libro: Basiliũ cum omni equitatu præmittit, tum legione vnâ præsidio impedimentis relictâ reliquas nouem legiones tripertitò ad hanc vastitatem inferendum distribuit: Labienũ cum tribus, ad Oceanum, versùs eas partes quæ Menapios attingũt, proficisci iubet: Trebonium cum pari legionũ numero ad eam regionem quæ Aduaticis adiacet depopulandã mittit, ipse cum tribus, ad flumen Sabim extremásque Arduenæ partes ire constituit: Erat autem Eburonum manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet, sed in omnes partes dispersa multitudo vbicunque, aut vallis abdita, aut locus syluestris, aut palus impedita spem præsidij, aut salutis aliquam offerebat, consederat. Atque in hoc vltionis tãto ardore cùm Cæsar dispersis legionariis magnum periculum creari intelligeret, euocat omnes finitimas ciuitates spe prædæ

ad diripiendos Eburones,vt stirps ac nomen ciuitatis tolleretur: Atque eâ tãtâ vastatione cùm grauissimus ille vltionis dolor nõdum expleretur,Cæsar rursus ad vexandos hostes profectus, magno coacto numero ex finitimis ciuitatibus in omnes partes dimittit. Omnes vici atq; omnia ędificia quę quisque cõspexerat incẽdebantur. Repetita est tertio demum tempore, vt est octauo libro, vltionis eadẽ cupiditas & par vastitas illata: neque tamen vsquam vrbis cuiusquã vallum aut fossa nominatur: Quamobrem coniectura magna sit hos Belgas nõ solùm origine, sed etiã habitatione Germanos fuisse. Nec Bellouaci, quamuis & virtute & authoritate & hominum numero Belgarũ primi, ab ista cõsuetudine longè videntur abfuisse,quorum vnicũ opidum primo bello memoratur, Bratuspantium nomine: cæteris bellis prorsus nullũ. Sed nimiũ de Belgica ista habitatione. Qui verò lusus aut quæ spectacula gallicę iuuentutis essent,nihil in Cæsare comperio: De Germanis Tacitus illud scriptum reliquit,Genus spectaculorũ vnum atque in omni cœtu idem,nudi iuuenes quibus id ludicrũ est,inter gladios se atq; infestas frameas saltu iaciunt.Exercitatio, artẽ parauit, ars decorem: non in quæstũ tamen aut mercedem, quãuis audacis lasciuiæ pretium est,voluptas spectãtium: Aleã,quod mirere, sobrij inter seria exercent,tãtâ lucrandi perdendiue cupiditate, vt cũ

omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu, de libertate ac de corpore cõtendãt. Victus voluntariam seruitutem adit: quamuis iunior, quãuis robustior, alligari se ac venire patitur: Ea est in re parua, peruicacia, ipsi fidem vocant, seruos conditionis huius, per commercia tradunt, vt se quoq; pudore victoriæ exoluant. Sed enim summa in his tẽperantiæ moribus Gallorum pariter & Germanorũ humanitas ac liberalitas prædicatur. Hospites (ait de Gallis Diodorus) ad epulas vocant, qui sint, quâ caussâ venerint post cœnam rogantes. Hæc verò laus in Germanis multò pleniùs à Cæsare Tacitóque demonstratur, Hospites violare (ait Cæsar) fas non putant, qui quacunque de caussa ad eos venerunt, iniuria prohibent sanctósque habent, hísque omnium domus patent victúsque communicatur. Sic itẽ Tacitus, Conuictibus & hospitiis, non alia gens effusiùs indulget quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque, apparatis epulis excipit, cùm defecere, qui modò hospes fuerat, mõstrator hospitij & comes, proximã domum non inuitati adeunt: nec interest, pari humanitate accipiuntur. Notum ignotúmque quantum ad ius hospitis nemo discernit: Abeunti si quid popósceris, concedere moris & poscendi inuicem eadem facilitas. Gaudẽt muneribus, sed nec data imputãt, nec acceptis obligantur. Ergo hæc insignis est hospitalitas. Sed

vnam Germanię palmam in huius virtutis laude prętermittendã esse non arbitror, Phaleas Chalcedonius (ait Aristoteles) primus æquationem bonorum in Remp. induxit, vt generis humani duæ capitales pestes è ciuitate pellerentur, paupertas & opulentia. Hoc vnicum Platonis ad statum beatæ ciuitatis huius votum fuit: At Germani beatissimæ ciuitatis Ideam non disputatiõnibus & argumentis adumbratam, sed moribus & exẽplis expressam præstitere: neque enim quisquam (ait de Germanis Cæsar libro sexto) agrĩ modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibúsque hominum qui vnà coïerunt quantum eis & quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno pòst, aliò transire cogunt. Quod idem de Sueuis Germanis quarto libro dicitur, Priuati & sẽparati agri apud eos nihil est: neque longiùs anno remanere vno in loco incolendi caussâ licet. Ergo ista apud Germanos bonorum fuit æquatio. Æquationis etiam huius multas caussas afferũt (ait idem sexto libro) ne assiduâ consuetudine capti, studium belli gerendi agriculturâ commutent, ne latos fines parare studeant, potentioréſque, humiliores possessionibus expellant, ne accuratiùs ad frigora atque æstus vitandos ædificent, ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissensionésque nascuntur, vt animi

animi æquitate plebẽ contineãt, cùm suas quisque opes cum potentissimis æquari videat. Hæc Cæsar de Germanica æquatione, cum qua Græci, vel Cretum, vel Laconum æquationes laude comparent, & istam in Germanis virtutem, barbariam, si superis placet, appellent: Fuit tamen & Gallis & Germanis seruitus, more reliquarum gentium vsitata, Plerique (ait Cæsar libro sexto de Gallis) cùm aut ære alieno aut magnitudine tributorum aut iniuria potẽtiorum premuntur, sese in seruitutem dicant nobilibus, in hos eadem omnino sunt iura, quæ dominis in seruos. Atqui hæc sæui dominatus impotentia videatur, qualem post exactos reges Romæ fuisse Liuius secundo libro commemorat in seditione nexorum, qui æris alieni magnitudine oppresi, à creditoribus seruilem in modum vexabantur, adeò (quod Quintilianus libri tertij capite sexto tradit) vt debitoris corpus inter creditores, lege duodecim tabularum diuideretur, Quam legem licet, vt idem ait, non laudabilem naturâ, iure tamen concessam, mos publicus repudiauit, & frequenter nouæ tabulæ contra calamitates istas, à Repub. concessæ sunt. Sed tamen hoc in Gallis, quàm in Romanis humanius & liberalius, quod domini suos obęratos, atque, vt Cæsar gallico verbo appellat, ambactos honoris quodam loco circum se haberent, eorúmque operâ in bellis vterentur: huc enim spectare

videtur illud Diodori, Custodes corporis (ait) ex liberis hominibus pauperes eligunt, qui & pro aurigis in pugna seruiant, & ferant scutum. Tacitus de Germanorum seruis consimilem Gallis consuetudinem commemorat, Seruis (ait) non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis vtuntur, suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis vt colono iniungit, & seruus hactenus paret. Cætera domus officia, vxor ac liberi exequuntur. Verberare seruum, ac vinculis & opere coërcere, rarum, occidere solent non disciplinâ & seueritate, sed impetu & ira, vt inimicum, nisi quòd impunè: Liberti non multùm supra seruos sunt, rarò aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate, exceptis duntaxat his gentibus quæ regnantur: Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt: Apud cæteros, impares libertini, libertatis argumentum sunt. Quapropter eiusmodi mores, ea temperãtia veterum Gallorum fuit, quæ ad valetudinem corporis & vires ac mirificam illam quam Cæsar in corporibus Gallorum Africano bello cæsorum miratus est proceritatem: Denique fortunarum ac facultatum suarum beneficentiam ac liberalitatem referatur.

Fortitudinis partes materiam vberiorem ac pleniorem afferunt, siue puerilis ætatis exercitationem siue militiæ puluerem & solem consideres,

res, deuictásque, inde gentes & fundatas toto terrarum orbe Gallici nominis colonias. Enimuerò Galli (ait Cæsar libro sexto) in reliquis vitæ institutis hoc ferè à reliquis differũt, quòd suos liberos nisi cùm adoleuerint, vt munus militiæ sustinere poßint, palàm ad se adire non patiuntur, filiúmque puerili ætate in publico, in cõspectu patris aßistere turpe ducunt. Hæc Cæsar, quibus tamẽ militię illius tempora non satis explicat, nec vlla puerilis interea ætatis studia nominat. Ab aliis igitur exquiramus, Tacitus nobis tempus illud adeundæ Reipub. De Germanis explicabit, Sed arma sumere (ait) non antè cuiquam moris, quàm ciuitas suffecturum probauerit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameáque iuuenem ornant: Hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos, ante hoc, domus pars videntur, mox Reipub. Aristoteles etiam scriptor Cæsare multò antiquior, nobis illa puerilis educationis studia declarabit. Etenim à nobis istam laudem octauo Politico repetiuit, Conducit etiam (ait) admodum infantes ad frigoris patientiam assuescere: Id enim est & ad valetudinẽ & bellicas laudes aptißimum: Itaque etiam nonnullis barbaris, vt Celtis, ea consuetudo est, vt in frigidum amnem natos immergant aut tenui amiculo vestiant: Nam quibuscunque rebus iuuentus assuescere potest, cõmodiùs est eam sen-

ſim paulatímque à primis & teneris annis aſſueſcere. Eſt autem pueritiæ habitus ob ingenitum calorem ad tolerantiam frigoris opportunus: Quamobrem hæc atque eiuſmodi alia cura imprimis adhibenda erit. Ariſtoteles hoc loco Celtas barbaros appellat: at Celtarũ mores nequaquam barbaros exiſtimat, cùm Græcos his moribus imbuendos eſſe præcipiat. Scio Galeno mores iſtos vehementer improbari, Apud Germanos (ait primo de ſanitate tuenda) planè ne nutriri quidem infantes contenderim: Verùm nos neque Germanis: neque aliis agreſtibus aut barbaris hominibus hæc prodimus non magis quidéquàm vrſis, apris, leonibus, aut aliis eiuſmodi beſtiis. Scio, inquam, hoc Galeno vehementer improbari: ſed illud etiam ſcio delicatulos illos Græciæ populos, quibus Galenus ſanitatem ſuam indulſit, ab iis leonibus, quos appellat, eſſe deuoratos, Gallóſque & Germanos Gręcis collatos verè leones appellari. Et quidem Græcarum ciuitatum longè nobiliſsima Lacedęmon celtico iſto laboris & duritię ſtudio pręcipuè nobilitata eſt, quòd Spartana iuuẽtus, omnibus corporis laboribus & exercitationibus duraretur, nec ante viceſimum ætatis annum, in forum admitteretur, vt in Lycurgo Plutarchus ait: Itaq; non ſolùm Gallicæ & Germanicæ virtutis huius vires, ſed Ariſtotelis & Lacedæmonis authoritas, Galeni argumentis, ſi quis hoc

expectet,

expectet, reſpondeant. Atque ad hanc patientiæ gallicæ duritiam Strabonis illud referẽdum eſt, qui Gallorum proprium eſſe ait, laboribus exerceri, ne craſsi & ventroſi fiant, iuuenémque qui zonæ modum exceſſerit, plecti & multari. Cui Romanæ Cenſuræ illud ſimile fuit, obæſum equitem publico equo priuari. Nec verò Gallis ea fortitudinis exercitatio propria tum fuit, communis Germanorum fratrum fuit: Id enim Galenus iam docuit. Ergo Cæſarem huius etiã laudis authorem nihilominùs auſcultemus, A paruulis, ait libro ſexto, labori ac duritiæ ſtudent, vitáque omnis in venationibus, atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit: Varia genera ferarum habẽt in Hercynia ſylua, boues feros, alces, ſed imprimis vros: hos ſtudioſè foueis captos interficiunt: hoc ſe labore durant adoleſcentes, atque hoc genere venationis exercent, & qui plurimòs ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſunt teſtimonio, magnam ferunt laudem.

Ergo iſta iuuenilis ætatis ad laborum & periculorum tolerãtiam veluti ſchola exemplis certè & factis, ſi minùs artificioſis doctoribus & præceptis fuerit: Iam militiam & graue Martis opus, vt ait poëta, conſideremus. Bellum Gallis perpetuum fuit: Etenim ante Cæſaris aduẽtum, vt eſt libro ſexto, ferè quotannis accidere ſolebat, vt aut ipſi iniurias inferrent, aut illatas pro-

pulsarent. Nullā verò ætatis excusationem Gallicis moribus fuisse locus ille octaui libri demōstrat, Vertiscus Rhemorum præfectus, quamuis equo propter ætatem vix posset vti: tamen consuetudine Gallorum neque ætatis excusatione in suscipienda præfectura vsus erat, nec sine se dimicari voluerat: Sic Parisino bello summa imperij, vt est septimo libro, traditur Camulogeno Aulerco, qui propè confectus ætate: tamen propter singularem scientiam rei militaris, ad eum est honorem euocatus. Sic Strabo Gallos bellatores potiùs quàm agricolas esse ait: Sic Aristoteles prodidit militarem virtutem apud Celtas præcipuè honorari. Atque ex hac militaris exercitationis perpetuitate caussas fortitudinis in Belgis atque Heluetiis à Cæsare deductas licet agnoscere, Fortissimi Gallorum sunt Belgæ (ait Cæsar) quid ita? Temperantia priùs allegata est tāquam fortitudinis mater aut certè nutrix: sed & secūda à Cæsare caussa redditur, Proximi (ait primo libro) sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscū continenter bellum gerunt: Hæc, inquam, fortitudinis caussa altera est, continua belli cōsuetudo, eademque de caussa Heluetij reliquos Celtas virtute præcedunt, vt ibidem est, quòd ferè quotidianis prœliis cum Germanis contendūt, cùm aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerūt. Hîc iterum quotidianorū præliorū consuetudo

ad

ad fidem fortitudinis allegatur: Quinetiam vt Gallis assiduus belli vsus retineretur, si bellum deesset, latrociniis dabant operam, ait Diodorus, rapientes aliena cęteris omnibus cōtemptis.

Quid Germani? quibus hac virtutis partę moribus fuere? Vita omnis, vt iam patuit, in studiis rei militaris consistit, atque omnino, vt est libro sexto, ciuitatibus maxima laus est quàm latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam audere prope cōsistere: Simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentinæ incursionis timore sublato. Idem belli studium Tacitus exponit, Nec arare terram aut expectare annum tam facilè persuaseris, quàm vocare hostes & vulnera mereri: Pigrum quinimò & iners videtur sudore acquirere quod posis sanguine parare. Sed etiam latrocinia Germanis à Cæsare tribuuntur, vt à Diodoro Gallis, Latrocinia (ait Cæsar libro sexto) nullam habent infamiam quæ extra fines cuiusque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendæ ac desidiæ minuendæ caussâ fieri prædicant. Atque vbi quis ex principibus in consilio dixit se ducem fore, qui sequi velint profiteantur, consurgunt ij qui & caussam & hominem probant suúmque auxilium pollicentur, atq; à multitudine collaudantur. Qui ex his secuti non sunt, in desertorū ac proditorū numero ducun-

tur omniúmque his rerũ postea fides derogatur. Addit Tacitus Germanica apud exteros populos bella, Si ciuitas, ait, in qua orti sunt, lõgâ pace, & otio torpeat, plerique nobilium adolescẽtium petunt vltrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & faciliùs inter ancipitia clarescunt, magnúmque comitatum non nisi vi bellóque tueantur: Materia munificentiæ, per bella & raptus. Quãobrem gallicæ militiæ perpetuum studium ex his agnoscimus, eáque veterum Gallorum encomia, quibus poëta Romanorũ poëtarum longè optimus Italiam exornare voluit,

Durum à stirpe genus, natòs ad flumina primùm
Deferimus, sæuóque gelu durámus & vndis:
Venatu inuigilant pueri syluásque fatigant,
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum paruóque assueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, versãque iuuencûm
Terga fatigamũs hastâ, nec tarda senectus
Debilitat vires animi mutátque vigorem:
Caniciem galeâ premimus, sempérque recentes
Conuectare iuuat prædas & viuere rapto.

Atque vtinam Cæsari de Gallorum moribus præcipienti libuisset gallicos armorum mores paulò vberiùs exponere, quod in apparatu iudicium, quæ diligentia in castris, quæ vis & fortitudo in præliis fuisset, iucundissimũ esset militarem

tatem maiorum nostrorum consuetudinem recordari. At horum Cæsar pręcipuè nihil indicauit: singula tamen quibuscúmque vel obscuris apud eum vestigiis quacúmque diligentia obseruare,& è variis locis subducere,atque è cæteris authoribus conferre licuerit, persequemur. Delectus imperatorum,& belli ducum qui fuerit,gallica Cæsaris bella singulis annis ostendũt: & ad extremum dicemus ampliùs: Delectus autem priuatorum militum,armato concilio indicatur: Induciomarus Treuirorum princeps, armatum concilium aduersus Romanos indicit, vt est quinto belli gallici: Hoc more Gallorum est initium belli, quo lege communi omnes puberes armati conuenire consueuerunt: & qui ex his nouissimus venit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. Eadem Galliæ cõsuetudo declaratur libro septimo,cùm Vercingetorix gallici belli princeps electus, Alexiæ obsideretur, cõsilium enim capit omnem à se equitatum dimittere, discedentibus mãdat, vt suam, quisque eorum, ciuitaté adeat, omnésque qui per ætatem arma ferre posint, ad bellum cogant: Galli tamen concilio principũ indicto, nõ omnes qui arma ferre possent, vt Vercingetorix statuerat, sed certum numerum cuique ciuitati imperandum, ne tantâ multitudine cõfusâ, nec moderari, nec discernere suos, nec frumentationẽ habere possent. Hoc igitur gallico

delectu percipimus quanta militiæ studia apud Gallos viguerint, cùm puberes omnes arma ferre soliti sint. Armatura verò gallica romanæ dissimilis fuit, vt septimo libro intelligi potest de Heduis Cæsari militantibus, qui gallicis armis Romanos vehementer perterruerunt. Quęnam verò essent hæc arma, in Cæsare discernere non potui: Quæ Polybius, Diodorus, Liuius, Strabo tradidere, complectamur. Gladius prælõgus fuit ærea cathena dextro latere dependẽs, non solùm ad cędendum, sed pungendum idoneus (ait Diodorus) mucrones tamen Polybius & Liuius detrahunt: Vastum scutum & staturæ corporis accommodatũ, proque arbitrio cuiusque ornatũ & formis animalium æreis & eminentibus: Lancea ferro cubitali longitudine, latitudine duorum palmorum. Cæsar tertio belli gallici gæsa Gallis attribuit: Meris etiam fuit tragulæ genus: Ærea galea caput muniebant paulatim eminẽtiore, in qua aut cornua impressa essent, aut auium vel quadrupedũ effigies sculptæ: Thorax ferreus. Atque plerique Galli super vmbilicum nudi pugnare consueuerãt, vt in pugna Cannensi Liuius ait, de quo etiam prælio Polybius idem tradit. Terribilis (ait) erat nudorum hominũ præcedentiũ & aspectus & incessus robore nempe & specie præstantium: Sic in Gallogræcia Liuius ait Gallos nudos dimicasse, ideóque eminùs Romanis pilis confixos occubuisse.

buisse. Gallis etiam arcus & funda in vsu fuit (ait Strabo. Quinetiã (ait idem) fustis apud eos est, qui manu non amento iactus, sagittã longiùs ferit, quo præcipuè in aucupiis auium vti consueuerunt. Certa ac fide digna res est (vt author idem est) in Gallia nasci arborem fico similem, quæq; fructũ ferat capiti columnę corinthiacæ respondentem: eâ autem sectâ, lethalem liquorẽ emitti ad vsus sagittarũ. Sagittarios verò magno in vsu Gallis fuisse, Cæsar libro septimo planè confirmat, cùm de Vercingetorige loquitur, Sagittarios omnes, ait, quorũ erat permagn⁹ numer⁹ in Gallia, cõquiri & ad se mitti iubet: quod postea percipietur ampliùs. Ergo hæc armatura Gallica, cui non vsquequaque similis armatura Germanorum apud Tacitũ est, Rari gladiis aut maioribus lanceis vtuntur, hastas, vel ipsorũ vocabulo frameas gerunt angusto & breui ferro, sed ita acri & ad vsum habili, vt eodem telo prout ratio poscit vel cominùs vel eminùs pugnẽt: & eques quidem scuto frameáque cõtentus est, pedites & missilia spargũt pluráque singuli, atque in immensum vibrãt nudi aut sagulo leues: nulla cultus iactatio, scuta tantùm lectissimis coloribus distinguunt, paucis loricę, vix vni alteriue cassis aut galea. Ergo hæc veterum Gallorum arma commemorantur: armatorum ipsorum genera dicenda sunt equitum & peditũ. Galli verò primas suæ militiæ partes equitibus dederunt,

bellíque adminiſtrandi principes, vt ait Cæſar libro ſexto, fecerunt. Atque in communi Gallorum omniū coniuratione contra Cæſaré, Gallorū equitū millia modò octo, modò quindecim numerãtur, eáque parte exercitus, Galli maximè cōfidebant, vt eſt libro ſeptimo: Tametſi de omnibus Galliæ ciuitatibus id affirmari non poſsit. Treuiri longè plurimùm totius Galliæ equitatu valuere, vt eſt quinto libro. Sontiates, vt eſt tertio, eâdem militiâ plurimùm potuere: At Neruij plùs peditatu, vt eſt tertio: Sed tamen ſi genus vniuerſum ſpectetur, equitatus Gallicus militiæ gallicæ præcipua gloria fuit: & Cæſar bellis ciuilibus, iſto pręcipuè equitatu vſus eſt. Afranius, (vt eſt primo belli ciuilis) cùm, magnâ manu paruas Cæſarianorū copias aggrederetur, celeriter ſeſe Galli equites expediunt prælíumque committūt: Hi, dum pari certamine res geri potuit, magnum hoſtiū numerum pauci ſuſtinuere: ſed vbi ſigna legionum appropinquare cœperunt, paucis amiſsis ſeſe in proximos montes conferunt. Hoc pugnæ tempus magnum attulit Cæſarianis ad ſalutem momentum: nacti enim ſpatium, ſe in loca ſuperiora receperunt. Sic Africano bello cùm ab hoſtibus maximis copiis extremum Cęſaris agmen laceſſeretur, ſubitò legionarij conſiſtūt: & equites, quanquam erant pauci, tamen cōtra tantam multitudinem audacìſsimè concurrunt. Accidit res incredibilis,

lis, vt equites minùs triginta Galli, Maurorum equitum duo millia loco pellerẽt fugaréntque: tãtùm equitatus Gallicus poterat. Hinc illa vox Ciceronis quinta Philippica, Eſt enim opinio, ait, decreturum aliquem M. Antonio illam vltimam Galliam quam Plancus obtinet, quid hoc eſt aliud quàm ad bellum ciuile hoſti arma largiri, primùm neruos belli, pecuniam infinitam, quâ nunc eget, deinde equitatum quantum velit? Equitatus igitur in militia gallica tantum potuit. Peditum verò expeditorum & ſagittariorum militia interdum cum equeſtri miſcebatur: Sic Vercingetorix libro ſeptimo cum equitatu expeditíſque peditibus qui inter equites præliari conſueſſent, inſidiarum cauſſâ profectus, quò Romanos pabulatum venturos arbitraretur. Ac iterum ibidem ad Gergouiam de Vercingetorige, Neque vllum ferè diem intermittebat, quin equeſtri prælio interiectis ſagittariis, quid in quóq; eſſet animi ac virtutis ſuorum periclitaretur: Aliquando pedites tum leuis armaturæ expediti, tum ſagittarij inter equites præliabantur: Et ibidem de prælio ad Alexiam, Galli inter equites raros, ſagittarios expeditóſque leuis armaturæ interiecerant, qui ſuis ſedentibus auxilio ſuccurrerẽt & Romanorum equitum impetus ſuſtinerent. Quinetiam eſſedarios Gallia vetus habuit: Id enim Diodorus affirmat his verbis, In itinere ac pugna bigis vtũ-

tur, quas rhedarius & aſſeſſor ducunt: In bellis obuium hoſtem, iaculo ex curru primùm appetunt, tum relicto curru, pedites enſibus certant. Quod vtrumque prælij genus à Cæſare de Germanis & Britannis multò luculétius expoſitum eſt: de Germanis primo libro, cùm de Arioviſti copiis agit, Equitum, ait, millia erant ſex, totidem numero pedites velociſsimi & fortiſsimi, quos ex omni copia ſinguli ſingulos ſuæ ſalutis cauſſâ delegerant: cum his in præliis verſabantur: ad eos ſe equites recipiebant: hi, ſi quid erat durius, concurrebát, ſi quis grauiore vulnere accepto, equo deciderat, circunſiſtebant, ſi quò erat longiùs prodeundum aut celeriùs recipiendum, tanta erat eorum exercitatione celeritas, vt iubis equorum ſubleuati, curſum adæquarent. Et iterum libro quarto de Sueuis, Equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt ac pedibus præliantur, equóſque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt, ad quos ſe celeriter cùm vſus poſcit, recipiunt, neque eorum moribus turpius quicquam aut inertius habetur, quàm ephippiis vtí: Itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum, quamuis pauci, adire audent. Hæc Cæſar, vnde tamen intelligimus contrarios hac in re Gallis Germanorum mores fuiſſe, cùm plus peditatu Germani cõfiderent: quod & Tacitus apertiùs tradidit, In vniuerſum æſtimãti ait, plùs penes peditem roboris, eóque mixti

pedi-

pedites equitibus præliantur aptâ & congruẽte ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant: Definitur & numerus, Centeni ex singulis pagis sunt, idq; ipsum inter suos vocãtur, & quod primùm numerus fuit, iam nomen & honor est.

Ergo Germanicus equitatus admisto peditatu eiusmodi fuit. Britãnicus autem quarto libro sic à Cæsare describitur, Gen⁹ hoc est ex essedis pugnæ, primò per omnes partes perequitãt & tela coniiciũt atq; ipso terrore equorũ & strepitu rotarum, ordines plerúnq; perturbãt, & cùm se inter equitum turmas insinuauerint, ex essedis desiliunt & pedites præliãtur, aurigæ interim paulum ex prælio excedũt atque ita currus collocãt, vt si illi à multitudine hostium premãtur, expeditum ad suos receptũ habeant: Ita mobilitatem equitũ, stabilitatem peditum in præliis pręstant, ac tantum vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari & flectere & per temonem percurrere, & in iugo insistere & inde se in currus citissimè recipere consuerint: Ergo hoc essedariorum prælium temperationem quandam & coniunctionẽ equestris ac pedestris dimicationis habuit: Etenim magna multitudo carrorũ, etiã expeditos sequi Gallos cõsueuit (vt est libro septimo:) item, Venerũt in Hispaniam Cæsarem secuti sagittarij ex Rhute-

nis, equites ex Gallia cum multis carris magnísque impedimentis, vt fert Galliæ consuetudo. Erant præterea cuiusque generis hominum millia circiter sex cum seruis liberísque: ideóque iumentis maximè delectantur, & impenso parant pretio (vt ait Cæsar quarto libro.) Quamobrem non solùm viros, sed liberos, sed totas denique familias videmus in Gallia militiæ tanquam stipendia fecisse. Fœminas etiam Germanis bellorum socias fuisse Tacitus author est.

Sed de gallico delectu satis multa. Commeatus facilitas è temperantiæ moribus intellecta est, vini mollicie detractâ: & rei frumétariæ studium multis exemplis è Cæsare percipitur. Heluetij molita trium mensium cibaria domo extulerũt, & Vercingetorix non minùs sapiéti quàm forti consilio ad Romanos frumentatione prohibendum, Gallis persuasit vt vicos & oppida quoquouersus, quò ab Romanis adiri posset incenderent. Itaque vno die ampliùs viginti vrbes Biturigum incenduntur. Hoc idem fit in reliquis ciuitatibus: Sed Biturigibus deprecantibus ne Auaricum pulcherrimam propè totius Galliæ vrbem succenderent, datur venia, dissuadente primo Vercingetorige, pòst concedente, & ipsorum precibus & misericordiâ vulgi: At vnius vrbis misericordia, vniuersis Galliæ vrbibus crudelissimi exitij caussâ fuit: Nam cùm fame iam grauiter laborare Cæsa-

ris exercitus cœpisset diésque aliquot frumento caruisset, capto Auarico, non solùm commeatu redundauit, sed prędæ similis expectatione Galliam totam deuorauit. Consilio eodem Vercingetorix rursum Cæsarem Gergouiâ excedere coëgit, commeatúque omni Romano qui tum Nouioduni fuerat, sublato, in eas angustias adduxit, vt nisi infamia atque indignitas rei viarúmque difficultas, & quatuor legionum absentia, obstitissent, Cæsar iter in prouinciam conuersus esse videretur. Tertiò repetit idem consilium Vercingetorix vniuersæ Galliæ imperator electus, cùm in publico Gallorum concilio prædicit se neque fortunam tẽtaturum aut acie dimicaturum, sed quoniam abundet equitatu, perfacilè esse factu frumentationibus pabulationibúsque Romanos prohibere, æquo modò animo sua ipsi frumenta corrumpant ædificiáque incendant, quâ rei familiaris iacturâ perpetuum imperium libertatémque se consequi videant. Et certè his rebus permotus Cęsar, fugam per Sequanos in prouinciam meditabatur quo tempore Vercingetorix rectum illud non tentandæ fortunæ consilium inconsideratè contempsit, prælióque commisso è superiore caussa inferiorem fecit. Quare commeatus quãta cura veteribus Gallis fuerit hinc intelligi potest. Castrorum verò siue iter siue fabrica, siue disciplina spectetur, ratio minùs attenta atque

accurata videtur fuiſſe: Heluetij, nauibus iunctis ratibúſque compluribus factis: alij vadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, ſæpiùs noctu, ſi perrumpere poſſent, conati, à Cæſare repelluntur: Hi Galli, pontes fabricari nequaquam didicerant: Iidem poſteà ratibus ac lintribus iunctis Ararim vix viceſimo die, tribus exercitus ſui partibus trāſierunt: eadem architecturæ inopia fuit. Fabrica, ſiue locum ſiue munitionem conſideres, non multò plùs artis habuit: vallis eligebatur, cuius foſſa & vallum, terra videlicet ac cœlum eſſent: Gallorum enim conſuetudo fuit (vt eſt octauo libro) relictis locis ſuperioribus, ad ripas fluminis caſtra demittere, & ſic primo libro Heluetij ſub monte conſederūt: ſic ibidem Germani ſub monte conſederunt. At Romana militia ſuperiorem locum optabat. Ergo talis locus gallicorum caſtrorum erat: munitio autem prorſus nulla. Belgarum caſtra (vt eſt libro ſecundo) vt ex fumo atque ignibus ſignificabatur, ampliùs millibus paſſuum octo, in latitudinem patebant: Ac ſi quando diligentia maior fuit, carri tātùm pro vallo obiiciebantur: Sic (vt eſt primo libro) & Heluetij pro vallo carros obiecerāt: Sic Germani omnem ſuam aciem rhedis & carris circundederunt, tandem Galli quæ Romanos facere cognouerant, ea cœperunt imitari: Neruij (vt eſt quinto libro) vallo pedum vndecim &

foſſa

fossa pedum quindecim, hyberna Ciceronis cingunt: Hæc & superiorum armorum consuetudine à Romanis cognouerāt, & à captiuis docebantur: sed nullâ ferramentorum copiâ, quæ sunt ad hunc vsum idonea, gladiis cespites incidere, manibus sagulísque terram exhaurire cogebātur: deinde turres ad altitudinē valli, falces testudinésque quas iidem captiui docuerant, parare ac facere cœperunt: denique Cæsar institutas ab iis turres, testudines munitionésque miratus est. Hic verò Cæsaris locus valde ostendit Gallis neque naturam neque studium bene gerendæ rei, sed disciplinam defuisse: deinde septimo belli gallici anno Vercingetorix multis cladibus acceptis dum Gallos consolatur, ait æquum esse, communis salutis causâ à Gallis impetrari, vt castra munire instituerent, quò faciliùs repentinos hostium impetus sustinere possent: Primùm enim, ait Cæsar, eo tempore Galli castra munire cœperunt, ídque præcipuè Cæsar nominatímque eo loco notauit. Et quidem ista munitio ad Gergouiam prima fuit muro castris ex grandibus saxis sex pedum facto, deinde ad Alexiam fossâ & maceriâ sex in altitudinem pedum perductâ: Murum illic Cæsar appellat, hîc tantùm maceriam, vt etiam illum murum ex congerie lapidum cumulatum, sed temerè & sine arte factum fuisse appareat. Sed istam castrorum disciplinam minus accuratam Galli vete-

res habuerint.

Quid præliorum virtus? qualis in his fuit? virium certè confidentia prorsus ingens. Galli, vt est Africano bello, homines aperti miniméque insidiosi, per virtutem non per dolum dimicare consueuerunt ideóque sic ad Cæsarem, qui Tigurinos inopinantes circumuenerat, Diuico Heluetius loquitur, Se ita à patribus maioribúsque suis didicisse, vt magis virtute, quàm dolo contenderent aut insidiis niterentur. Atque militaris huius virtutis singularia multis locis in Cæsare exempla sunt, Prælio Heluetico cùm ab hora septima (vt est primo libro) ad vesperam pugnatum esset, auersum hostem videre nemo potuit: Sic Belgæ (vt est sexto) suis ante oculos interfectis nequaquam territi, sed per eorum corpora audacissimè transire conati: Sic Neruij (vt est ibidem) etiã in extrema spe salutis tantam virtutem præstiterunt, vt cùm primi eorum cecidissent, proximi iacentibus insisterent, atque ex eorum corporibus pugnarent. His deiectis & coäceruatis cadaueribus, qui superessent, vt ex tumulo tela in Romanos coniicerent piláque intercepta remitterẽt. Simile est de Gallis militibus Cæsaris, cùm Munda in Hispania circumuallatur ex hostium cæsorum cadaueribus & armis, Pro cespite (ait Hircius) cadauera collocabantur, scuta & pila pro vallo insuper occisis & gladij & mucrones & capita hominum

num ordinata ad oppidum hostium conuersa vniuersa, vt timorem virtutisque insignia proposita viderent & vallo circuncluderentur aduersarij: Ita Galli tragulis iaculisque oppidum, ex hostium cadaueribus complexi, oppugnare cœperunt. Hoc igitur è cadaueribus vallum iam patriis antè moribus Galli facere didicerant. At inde, opinor, ea nata de Celtis opinio est, quę in Ethicis ad Nicomachum ab Aristotele scribitur, Nihil eos omnino metuere neq; motus terræ neque fluctus: Atque id nimirum est quod ait Strabo, Gallos Alexandro Magno interroganti quidnam maximè timerent, nihil esse, nisi ne super ipsos cœlum rueret. Loci curam in præliis non multò maiorem quàm in castris video fuisse, sicuti totis commentariis gallici belli perspicuum est, cùm Heluetij & Neruij iniquissimo loco Cæsarem sint aggressi: & si quid tandem consideratius hîc fuit, imitatione romanæ disciplinæ factum est, Ordo verò, accuratior fuit, in quo nobis erit illud primum, Cùm ex pluribus ciuitatibus exercitus constaret, milites generatim distributi in ciuitates erant, separatímque singularum ciuitatum copiæ collocabâtur. Sic Neruico bello Atrebatibus sinistrum cornu, Neruiis dextrum attributum est, Veromanduis acies media: Sic septimo libro de copiis Vercingetorigis, Hoc se colle interruptis pontibus, Galli fiduciâ loci continebant gene-

tatímque distributi in ciuitates omnia vada ac saltus eius paludis, certis custodiis obtinebant. Et ibidem, At Vercingetorix castris prope oppidum in monte positis, mediocribus circum se interuallis, separatim singularum ciuitatum copias collocauerat, atq; omnibus eius iugi collibus occupatis, quà despici poterat, horribilem speciem præbebat, principésque earum ciuitatum, quos sibi ad consilium capiendum delegerat, primâ luce ad se quotidie conuenire iubebat, seu quid communicandum, seu quid administrandum videretur: Neque vllum ferè diem intermittebat quin equestri prælio interiectis sagittariis quid in quôque esset animi ac virtutis suorum periclitaretur. Sic primo libro è ciuitate Heluetiorum, pagus Tigurinus reliquis tribus Ararim traductis, separatim circumuentus est: Sic pagus Verbigenus cùm à cæteris seiunctus profugisset, & ad Cæsarẽ esset reductus, in numero hostium est habitus: Hanc eandem per genera gentium distributionem Germani tenuere (vt Tacitus apertiùs admonuit). Quodque præcipuum (ait) fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio, turmam aut cuneũ facit, sed familiæ & propinquitates. Eius rei exemplum est in Germanis Ariouistum secutis, qui tum demum, vt est primo libro, necessariò suas copias è castris eduxerunt generatímque constituerunt paribus interuallis Harudes,


des, Marcommanos, Tribocos Vangiones, Nemetes, Seduſios, Sueuos. Quapropter loci præſentis quæſtionem concludo, cùm ex pluribus ciuitatibus gallicus exercitus conſtaret, milites generatim in ciuitates diſtributos fuiſſe. Fuit verò Gallis phalanx in præliis vſitata vt Romanis legio. Phalanx ab Æliano ſubtiliter explicatur in cornua dextrum & ſiniſtrum & duas medias acies, & ſingulę rurſus in partes & particulas varias, vt tandem decuriæ partes minimæ fiant in phalange grauiter armata, milleviginti quatuor: Denique equitum leuiter armatorum, tum peditum, ſed numero ſubduplæ, tum equitum, & ſubquadruplæ: Primus in decuria, decurio dicitur, poſtremus, tergiductor: Primus eſt præſtes ſecundi, ſecũdus primi ſubſtes & præſtes tertij, ac deinceps in hunc modum totus decuriæ ordo conſtat è præſtitibus alternis & ſubſtitibus, profligatóque præſtite, ſubſtes eius locum ingreditur, nec ſemel occupatus locus vnquam defenſore nudatur. Secunda decuria condecuriatur primæ, cùm ſic decurio decurioni adiungitur & ſecundus ſecundo, tertius tertio, vt verſus verſui loco & numero reſpondeat, & vnius decuriæ milites ſic è regione reſpondentes, aſtites dicuntur: Interuallis autem certis diſtinguũtur phalangitæ ordinati, cubitis quatuor, denſati, duobus, conſtipati, vno. Phalanx igitur eiuſmodi, Gallorum veterum fuit. Heluetiis con-

fertissima acies, vt est primo libro, contra Cæsaris equitatũ fuit, eóque pulso, phalanx facta sub aciem primam successit. Sed Romani pilis missis, phalangem Helueticam perfregerunt: confertissima videlicet erat, & vitandorum pilorũ gratiâ cœpit laxari scutáque ipsa in morem testudinis ad pila excipiendum coniungi. Eodem autem libro Germani celeriter ex consuetudine sua, phalange factâ, impetus gladiorum excepẽrũt. Atqui hanc phalangem non vt testudinem tegẽdis capitibus, sed velut murum pectoribus obiectum video: Sed Heluetico bello auxilia sociorum Boiorum & Tulingorum carris & impedimentis agmen clausere, nouissimísque præsidio fuere: ac iam aduerso prælio, vulnerum multitudine defessis Heluetiis pedémque referentibus & in proximum montem sese recipientibus, ex itinere Romanos latere aperto aggressi, circunuenerunt: ídque conspicati Heluetij, rursus instare & prælium redintegrare cœperunt. Hîc quædam gallicæ instructæ aciei forma est. Ad hanc totius exercitus aciem pertinet illud Hircij, Gallos in acie solitos substratis fascibus sarmentorum ac virgultorum sedere: quod quãquam à Cæsare superioribus Commentariis declaratum esse dicit, nusquam tamen compeperio: sed tamen substratis fascibus in acie sedere gallicum fuit, simili nempe disciplina ac Romani triarij, qui tertio ordine in acie constituti,

genibus

genibus nixi subsidebant, vnde subsidium nominatum est. Sed hæc gallici ordinis pauciora: At cohortationis, quæ præcipua virtutis incitatio est, longè plura memorantur. Initio prælij, vnà cum primis telis, clamorem quàm maximũ tollere, tubis, militum animos incendere, militaris disciplinæ solenne est: At gallicæ consuetudinis fuit, non clamore solùm & tubis, sed cãtu, tripudio, vlulatu, armorum crepitu, telorum iactũ, tantum tumultum terrorémque initio pugnæ facere, vt nihil horribilius fieri posse videretur. Vocem, ait Diodorus, Galli grauem habent atque asperam, sed & tubas habent suo more barbaras, & quæ asperum sonum reddant. Sed Polybius plura libro secundo, cùm sic de Gallis loquitur, Cæterùm Romanos, Celtarum ornatus ac tumultus vi sua terrebant. Innumerabilis enim erat buccinatorum & tibicinum multitudo, cum quibus vnà toto exercitu conclamante, tantus ac talis clangor factus est, vt non solùm tubæ & copiæ ipsæ, sed vicina loca vociferari viderentur. Atqui totus hîc gallicus tumultus, frequenter à Liuio, sed inimicè & cõtumeliosè, vt de Gallis loqui ferè solet, notatus est, Galli, ait quinto libro, truci cantu clamoribúsque variis, horrendo cũcta compleuerant sono. Et ibidem, Mox vlulatus cantúsq; dissonos vagantibus circa mœnia turmatim Gallis, audiebant. Item, Galli occursant, ait libro tricesimo quarto, cum

D



variis vlulatibus, cantúque moris sui quatientes scuta sua super capita vibrantésque dextris tela. Item libro quadragesimo octauo de Gallis in Asia, Ad hoc cantus ineuntium prælium & vlulatus & tripudia & quatientium scuta in patrium quendam morem, horrendus armorum crepitus, omnia de industria composita ad terrorem. Cæsar hũc tumultũ leuiùs attigit. Quinto libro victis Sabino & Cottâ sic ait de Gallis victoribus, Tum verò suo more victoriam conclamant, atque vlulatum tollunt. Et iterum libro septimo de Gallis ad Alexiam, Cùm suos pugnâ superiores esse Galli confiderent & Romanos multitudine premi viderent, omnibus partibus & ij qui munitionibus cõtinebãtur, & ij qui ad auxilium conuenerant, clamore & vlulatu, suorum animos confirmabant. Item, Multùm ad terrẽdum Romanos valuit clamor qui post tergum pugnantibus extitit. Sed clamore etiam tanquam tubicine, colloquium petere, Gallis patrium fuit: Sic Cæsar libro quinto de Eburonibus, Tum suo more (ait) conclamauerunt vti aliqui ex Romanis ad colloquium prodirent. Notas verò gallicæ consuetudinis illas etiam lubet addere pacati animi, pacis, deditionis: Pacati nempe animi signum gallicum in bello fuit, dextrum humerum exerere. Sic de Heduis libro septimo, Tametsi dextris humeris exertis animaduertebantur, quod insigne, paca-

tis

tis esse consueuerat. Pacis verò petendæ gallicum signum fuit manus tendere: sic libro secundo de Bellouacis, Pueri mulieresque ex muro pasiis manibus suo more pacem à Romanis petierunt: Quod item libro septimo de Gergouiorum mulieribus, quæ pectore nudo prominentes, è muro pasiis manibus obtestabantur Romanos. Atque hoc idem signũ deditionis fuisse eodem libro significatur. Hedui manus tẽdere, deditionem significare & proiectis armis mortem deprecari incipiunt. Sed hęc fortasse minutiora: tumultum gallicum concludo, & quid Germanis simile fuerit, requiro. Hic videlicet baritus fuit Germanorum, de quo Tacitus, Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem baritum vocant, accendunt animos futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur: Terrent enim trepidántue prout sonuit acies: Nec tam vocis ille quàm virtutis concentus videtur: Affectatur pręcipuè asperitas soni & fractũ murmur obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior vox, repercussu intumescat. Quapropter gallicus tumultus conferendis signis atque accendẽdis animis eiusmodi fuit. Verumenimuerò etiã Gallæ fœminæ cohortationis huius partes habuere: Nullis verò tubis, nullis cornibus vehementiùs animos virorum incendi putes quàm adhortationibus & lachrymis charissimarũ cõiugum: Sic enim vt est libro septimo, Gergouiæ

matresfamiliàs suos obtestari, & more gallico passum capillum ostentare liberósque in cōspectum proferre cœperunt. Talis est exhortatio in Massiliæ oppugnatione, Instructâ classe (ait Cæsar) omnium seniorum, matrumfamilias virginúmque precibus & fletu excitati, vt extremo tempore ciuitati subuenirent, non minore animo ac fiducia quàm antè dimicauerant, naues conscendunt: Tum facile erat ex castris C. Trebonij atque omnibus superioribus locis prospicere in vrbem, vt omnis iuuentus quę in oppido remanserat, omnésque superioris ætatis cū liberis atque vxoribus, ex publicis custodiis aut ex muro ad cœlum manus tenderent aut templa Deorum immortalium adirent, & ante simulachra proiecti, victoriam ab diis exposcerēt. Cui simile est illud de Germanis primo libro, Et mulieres ad prælиū proficiscentes milites, passis manibus flentes implorabant ne se in seruitutem Romanis traderent. Ergo etiam Germanorum præliis: in proximo (vt Tacit⁹ ait) sunt pignora, vnde fœminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores: Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt, nec illæ numerare aut exugere plagas pauent, cibósq; & hortamina pugnantibus gestāt: Memoriæ proditur quasdā acies inclinatas iam & labantes à fœminis restitutas cōstantiâ precū & obiectu pectorū, & mōstratâ cominùs captiuitate

uitate quam longè impatientiùs, fœminarum suarum nomine timent, adeò vt efficaciùs obligētur animi ciuitatū, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Quare mulieres bellicosorum & fortium virorum, etiam bellicosę, etiam fortes fuere. Verumenimuerò nescio quomodo Cęsar dum eximiam animi magnitudinem Gallis attribuit, etiam mollitiē penè cōtrariam obiicit. Nam, vt ad bella suscipienda (ait libro tertio) Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minimè resistens ad calamitates perferendas mens eorum est: Denique, vt est octauo libro, vix iudicari potest vtrum Galli sint secundis minimísque rebus insolētiores, an aduerso mediocri casu timidiores: Quod Liuius tam insolenter arripuit, vt locis omnibus Gallos nouâ perpetuò aliquâ generis huius cōtumeliâ persequatur. Sic enim de Gallis Togatis 5. libro, Gallica gēs humori ac frigori assueta, pulueris & æstus intolerantissima. Libro 10, Gallorū corpora intolerantissima laboris atq; æstus fluere, primáque eorū pręlia plusquam virorum, postrema minùs quàm fœminarū. Tricesimo septimo, Intolerātissima laboris corpora, vix arma humeris gerebāt: Quadragesimo quarto, Labor & æstus, mollia & fluida corpora Gallorū & minimè patiētia sitis. Quadragesimo octauo de Galatis Asiæ, Si primū impetum, quem feruido ingenio & cæcâ irâ effundūt, sustinueris, fluūt sudore & las-

ſitudine mẽbra, labãt arma, mollia corpora, mol les vbi ira cõſedit animos, ſol, puluis, ſitis, vt ferrum non admoueas, proſternunt. Hanc mollitiẽ Germanis Tacitus etiã attribuit, Magna corpora (ait) & tãtùm ad impetum valida, laboris atque operũ non eadem patientia minimẽque ſitim æſtũque tolerare, frigora atq; inediã cœlo ſõlóue aſſueuerunt. Quid igitur? Cæſaris iudicio Galli fortiſſimi & iidẽ tamen molliſſimi prędicantur? Certè Galli omnes, naturâ bellicoſi prædicãtur: ſed diſciplinâ militari exercitati cõſtantiores, inexercitati molliores. Ferre laborẽ, reſiſtere periculis cõſuetudo & vſus docẽt, infinitus diſciplinę militaris labor eſt: atque ex hoc ille veteranus in prælijs paratus ad vulnera, Adduc pati animo tyronem & inexercitatũ militem, mulier videbitur (ait ſecundâ Tuſculanâ Tullius) Ac nimirum mollities iſta eſt quam etiã Galli & Vercingetorix & Critognatus Aruerni ſuis militibus ſeptimo libro obiiciũt: ille enim ait Gallos prælio propter animi mollitiẽ ſtudere quòd diutiùs laborẽ ferre non poſſent: hic in conſilio Alexiæ obſeſſorum & fame laborantiũ aduerſus eos qui eruptione periclitãda omnia cenſebant, Animi (ait) eſt iſta mollicies, nõ virtutis pauliſper inopiam ferre non poſſe: qui ſe vltrò morti offerant, faciliùs reperiantur, quàm qui dolorem patiẽter ferãt. Ergo à natura & ſtirpe gallicę gentis prõptus ille atque alacer animus eſt ad bella ſuſcipienda

pienda: mollities è disciplinę militaris insolétia: Etenim Gallum, magistro militiæ in disciplinā tradito & informato, quem tandem militem in omni labore & patientia duriorē reperies? Periculū, si dubitas, à Cæsare mollitiei huius factum est: Sex enim Cęsaris legiones gallico delectu ab ipso Cęsare conscriptę sunt: quatuor enim tantū à Repub. acceperat: Equitatus Cæsaris, gallicus fuit, atque ideò Alaudam illā non solùm genere sed nomine gallicam, rerū potitus Romanâ ciuitate totâ donauit. Quapropter mollicies ista rudis & inexercitati militis siue Galli siue Romani communis est, nō gallici & germanici generis propria. Sed Liuius cum Græcis quibusdā, in Gallorū nomine insolentior atque intolerantior est patriæque charitatem & historiæ legem obliuiscitur: Quamuis enim Venetos ab Antenore proditore quàm à Gallorū Venetorum nobilitate deducere maluerit, vt Strabo deduxit, vt Romani ipsi videntur affirmare qui Venetos in Gallia Togata statuunt: attamen Gallus fuit: & lex historię vetat ne qua gratiæ, ne qua simultatis in historia suspitio sit: At cùm frigoris ineptias illas Gallis Togatis & Asiaticis obiicit, qui Patauinis (vnde ipse Liuius est) calidiores & soli viciniores regiones incolūt, annon ineptissimè nugatur? Sed Gallus Cæsaris miles, omniū militum qui vnquam fuerint longè præstantissimus, hominē manifestæ vanitatis arguit: & Cæsar in

vna Gallia cõtra viros, in reliquis orbis partibus præ viris illis contra mulieres dimicasse meritò videatur. Et verò Cæsaris miles aduersus Pompeij militem, id est Gallus aduersus Romanum qualis est? Insolitus ad laborem Pōpeij exercitus à Cęsare tertio belli ciuilis appellatur. Quare Liuius lacteo isto, vt Quintilianus putat, eloquētię candore ex vltimis orbis finibus ad se audiendū, Hispanos & Gallos Romā, vt Hieronymus author est, excitarit: attamē in hac mollitie laboris, æstus, sitis, pulueris impatientissimâ, molliciem ipse ingenij sui & affectionē, æquitatis, historiæ grauitatis, iudicij, veritatis vehemēter impatiētē ostendit, molliciésque ista, seu durities, neque generis neque stirpis est, sed disciplinæ & educationis: Magnum igitur animum veréque bellicosum Gallis meritò Cæsar attribuit: atque in hac animi tamen magnitudine, infirmitatē quādam & disciplinæ penuriā deprehendit: imò verò simplicitatem quādam, & improuidā virium suarū confidētiam animaduertit: cuius error in bellis maximus ille notatus est, vt Strabo prodidit, Cōgregantur Galli (ait libro 4.) plurimi facilè, quòd animo simplices sunt, rectūq; & verū persequentes, propinquorū detrimētis affecti & cōmoti. Et ibidem, Itaque faciliùs accidit eos finibus expelli, cùm gregatim totis copiis vel potius totis familiis inuecti à valētioribus eiiciātur: hos Romani multò faciliùs, q̃ Hispanos subiugarunt.

garũt: Etenim longè antea Hiſpanienſe bellum inchoatũ eſt & poſtea tamen confectũ: intermedio autem tẽpore vniuerſos Gallos intra Rhenũ & Pyrenæum montem domuere: conferti enim & plurimi ſimul irruentes, cõferti ſimul & plurimi cecidere. Hiſpani verò prælia parcius diſpenſabãt, ſubtiliúſque tanquam numiſmata alij alio tempore partibus aliis latronum more bellantes, partiebantur. Id verò quod à Strabone proditum eſt, Cæſaris exemplis abundè percipi poteſt. Heluetiorum tota ciuitas duodecim oppidis, quadringẽtis vicis vno tempore tota præliatur & vno tempore tota vincitur: Talis Belgarum ex quindecim populis coniuratio: Talis Armoricorũ venetico bello rebellio, talis Aquitanorum contra Craſſum cõſpiratio fuit: Denique nónne tota Gallia vno ad Alexiam bello & armata & debellata eſt? hunc errorẽ Galli poſtea octauo belli Gallici anno ſenſere & cognouere, vt ait Hircius, neque vlla multitudine in vnum locum coacta reſiſti poſſe Romanis: At ſi diuerſa bella complures eodem tempore intuliſſent ciuitates, non ſatis auxilij aut ſpatij aut copiarum habiturum exercitum populi Romani ad omnia perſequẽda: Nec tamen ſimplex iſte animus, ſinéq; dolo apertus, Gallis perpetuus fuit, ſed aliquando cautus & inſidioſus fuit. Cæſar nulla belli occaſione, ne iniuſti quidem (ait Suetonius) abſtinuit tam fœderatis quàm infeſtis

vltrò lacessitis: bellorum tamen omnium caussas satis bellis coloribus induxit: Cæsaris fidem Galli Eburones Cæsari reddidere. Coniurationem Gallorum omnium esse factam, securum tamen iter ac liberum commeatum castra relinquenti Romano Gallus persuasit: Hac fallacia legio vna & cohortes quinq; cum Cotta & Sabino Legatis periere: Ac quamuis tum numero ac virtute Romanus (vt Cæsar confitetur) Gallo par esset: arte tamen Galli victus est: istam fraudem Gallus à Cæsare didicerat: & Cæsari reposuit. Eiusmodi Bellouacorum insidiæ ab Hircio memorantur, Bellouaci delecta manu peditum, cognitis stationibus quotidianis equitum Romanorum syluestribus locis insidias disponunt, eodémque equites postero die mittũt, qui primũ elicerẽt Romanos in insidias, deinde circumuentos aggrederentur, cuius mali sors incidit Rhemis, quibus ille dies fungẽdi muneris venerat: námque hi cùm repentè hostium equites animaduertissent, ac numero superiores paucitatem contempsissent, cupidiùs insecuti à peditibus vndique circundati sunt, quo facto perturbati celeriùs quàm consuetudo fert equestris prælij se receperunt amisso Vertisco principe ciuitatis, præfecto equitum. Ergo hæc non iam simplicitas Gallorum est, sed Afrorum calliditas. Atque ibidem Hircius velut Annibalis ad eludendum Fabiũ astutiam commemorat, Bel-

louaci

louaci (ait) cùm Romanos ad inſequendum paratos viderēt, neque pernoctare aut diutiùs permanere ſine periculo eodem loco poſſent, tale conſilium ſui recipiendi cœperunt, faſces vbi conſederant, per manus ſtramentorũ ac virgultorum, quorum ſumma erat in caſtris copia, inter ſe traditos ante aciem collocauerunt, extremóque tempore diei, ſigno pronuntiato, vno tempore incenderũt, ita continens flamma omnes repentè copias à conſpectu texit Romanorum, quod vbi accidit, Galli vehemētiſsimo curſu refugerunt, Cæſar etſi diſceſſum hoſtium animaduertere non poterat, incendiis oppoſitis: tamen id conſilium cùm fugæ cauſſâ initum ſuſpicaretur, legiones promouet & turmas ad inſequendum mittit, ipſe veritus inſidias, ne fortè in eodem loco ſubſiſtere hoſtis atque elicere Romanos in locum conaretur iniquum, tardiùs procedit: Equites cùm intrare fumum & flammam denſiſsimam timerent, ac ſi qui cupidiùs intrauerant, vix ſuorum ipſi priores partes animaduerterent equorum, inſidias veriti, liberam facultatem ſui recipiendi Bellouacis dederunt. Ita fugâ timoris ſimul calliditatíſque plena, ſine vllo detrimento millia non ampliùs decem progreſsi hoſtes, munitiſsimo loco caſtra poſuerũt. Inde cùm ſæpe in inſidiis equites peditéſque diſponerēt, magna detrimenta Romanis in pabulationibus inferebant. Hoc igitur, vt dixi, non

gallicum,ſed punicum ingenium videatur: His tamen inſidiarum artibus quas à Cæſare didicerant,à magiſtro ipſo tandem capti ſunt: Sed tamen ne ſine Romanis,aſtu nil potuiſſe Gallia videatur, Caſsium Conſulem cum toto exercitu Heluetij,vt Oroſius libro ſexto author eſt, inſidiis circumuenere. Vnum verò genus inſidiarum gallicarum omnium quidem quæ legerim vel audierim maximè mirabile,minimè prætereundum eſſe ſtatui, quo Poſthumius Prætor à Bojis Gallis oppreſſus eſt. De hoc ita Liuius libro tricesimo tertio,Cùm eæ res maximè agerẽtur,noua clades nunciata, alia ſuper alia cumulante in eum annum fortunâ, Lucium Poſthumium Conſulem deſignatum, in Gallia ipſum atque exercitum deletos. Sylua erat vaſta, Litanam Galli vocant,quà exercitum traducturus erat, eius ſyluæ dextrâ læuâque circa viam Galli, arbores ita inciderãt,vt immotæ ſtarent,momẽto leui impulſæ occiderent: Legiones duas Romanas habebat Poſthumius ſociúmque ab ſupero mari tantùm conſcripſerat,vt viginti quinque millia armatorum in agros hoſtium induxiſſet, Galli oras extremæ ſyluæ cùm circunſediſſent, vbi intrauit agmen ſaltum, tum extremas arborum ſucciſarum imppellunt, quæ alia in aliam inſtabilem per ſe ac malè hærentem incidentes,ancipiti ſtrage arma, viros, equos obruerunt,vt vix decem homines effugerent:Nam

cùm

cùm exanimati plerique essent arborum truncis fragmentísque ramorum, cęteram quoque multitudinem inopinato malo trepidam, Galli saltum omnem armati circunsidentes interfecerunt, paucis è tanto numero captis, qui pontem fluminis petentes, obsesso ante ab hostibus ponte interclusi sunt. Hæc Liuius.

Verùm de Gallica militia quæ collatis signis vel insidiis aperto loco fieret, satis: militiæ loco conclusæ mores iam sunt dicendi, quæ gallica oppidorum munitio, quæ contra oppugnatio fuerit. Quid igitur oppida quánam arte Galli munierunt? quibus machinis defenderũt? Equidem expectari non arbitror à Morinis, Neruiis, Menapiis, Aduaticis, Eburonibus oportere, quibus modis oppida munierint, cùm ne oppida quidem coluisse videantur. Hinc illa Aduaticorum visis Romanorum machinis admiratio, de qua sic est secundo libro, Postea vallo pedum duodecim in circuitu quindecim millium crebrísque castellis circummuniti, oppidó sese continebant, vbi vineis actis, aggere extructo, turrim procul constituti viderunt, primùm irridere ex muro atque increpitare vocibus, quòd tanta machinatio à tanto spatio institueretur, quibúsnam manibus, aut quibus viribus præsertim homines tãtulæ staturæ tanti operis turrim in muros sese collocare confiderent: Vbi verò moueri & appropinquari muris viderunt, nouâ atque

inusitatâ specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt, qui ad hunc modum locuti, Non se existimare Romanos sine ope deorum, bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tantâ celeritate promouere & ex propinquitate pugnare possent, se suáq; omnia eorum potestati permittere dixerunt. Hæc Cæsar. Tantum interest (ait Tullius secunda Tusculana) inter nouum & veteranum militem, vt inexercitatus exercitato comparatus, mulier esse videatur. Hîc verò Gallus Cęsaris disciplinâ eruditus, Gallo eiusdem artis ignaro, Deus videtur. Sed abi àBelgis istis remotioribus ad illos humaniores, vt Suessiones & Bellouacos, Suessiones (ait Cæsar libro secũdo) vineis ad eorum oppidum Nouiodunum actis, aggere iacto turribúsque constitutis, magnitudine operum quę neque viderant antè Galli neque audierant & celeritate Romanorũ permoti legatos ad Cæsarem de deditione mittunt. Bellouaci. His etiam oppugnationis machinis nondum visis, sed auditis tantùm Bratuspantium oppidum dediderũt. Quare, si Galli (vt ait Cæsar) antè tempus illud opera eiusmodi nulla neque viderãt neque audierant quid miramur rudes istorum artificiorum Gallos à Gallis peritis superatos esse? Verùm aut Cæsaris locus ille de Belgis tantùm scriptus est, aut certè verè & historicè scriptus esse non videtur: Muros enim Galli trabibus non erectis,

sed

ſed in ſolo collocatis & aggere intermedio veſtitis apptiſsimos efficiebant, de quibus ita Cæſar libro ſeptimo, Muri (ait) omnes gallici hac ferè formâ ſunt, trabes directæ perpetuæ in longitudinem paribus interuallis diſtantes inter ſe binos pedes, in ſolo collocantur, hæ reuinciuntur introrſus & multo aggere veſtiuntur: Ea autem quæ diximus interualla grandibus in fronte, ſaxis effarciũtur: His collocatis & coagmentatis alius inſuper ordo adiicitur, vt idem illud interuallum ſeruetur, neque inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſæ ſpatiis ſingulæ ſingulis ſaxis interiectis arctè contineantur: ſic deinceps omne opus cõtexitur: dum iuſta muri altitudo expleatur: hoc cùm in ſpeciem varietatémque opus deforme non eſt, alterius trabibus ac ſaxis, quæ rectis lineis ſuos ordines ſeruant, tum ad vtilitatem & defenſionem vrbium ſummam habet opportunitatem: quòd & ab incendio lapis & ab ariete materia defendit, quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerúmque introrſus reuincta neque perrumpi, neque diſtrahi poteſt. Galli igitur muniẽdi oppidi: imò verò etiam bellicis artibus defendẽdi ſcientiam quandam videntur habuiſſe. Tertio belli gallici anno Sontiates Aquitani à Craſſo vineis turribúſque obſeſsi ſunt: At illi fortiter reſtiterunt aliàs eruptione tentatâ, aliàs cuniculis ad aggerem vineis actis, cuius rei ſunt (ait Cæſar) longè

peritiſsimi Aquitani, propterea quòd multis locis apud eos ærariæ ſecturæ ſunt. Hæc Cæſaris oratio eſt, quâ confirmat Aquitanos defendendi oppidi peritiſsimos fuiſſe, ſed quia ſecturas & fodinas ærarias habuerint. Eadem ſcientia ac multò etiam maior Celtis Auaricenſi obſidione eadémque ſcientiæ cauſſa tribuitur, quòd apud eos magnæ ſint ferrariæ. Itaque cùm à Romanis fortiter Auaricum oppugnaretur, ſingulari militum Romanorum (ait Cæſar libro ſeptimo) virtuti conſilia cuiuſque modi Gallorum occurrebant, vt eſt ſummæ genus ſolertiæ, atque ad omnia imitanda & efficienda quę à quôque tradantur aptiſſimum: Nam & laqueis falces euertebant, quas cùm diſtinuerant, tormentis introrſus reducebant, totum murum turribus corio contextis contabulabant: Romanarum turrium altitudinem, turriũ ſuarum malis adæquabant, eruptionibus aut aggeri ignem inferebãt, aut Romanos occupatos adoriebantur, aut aggerem cuniculis ſubtrahebãt eò ſcientiùs quòd apud eos magnæ ſunt ferrariæ atque omne genus cuniculorum notum atque vſitatũ eſt. Cuniculis apertis, Romanas turres præuſta & pręacuta materia & pice feruefactâ & maximi ponderis ſaxis morabantur, mœnibúſque appropinquare prohibebant. Quapropter hoc exemplo videtur Gallus propugnãdæ vrbis peritiam quãdam habuiſſe: ſed certè magis vſu fodinarum

ſuarũ,quàm militaris artis præceptis inſtitutam: Id enim eſt quod Vercingetorix, in conſolatione Auarici expugnati queritur, non virtute neque acie viciſſe Romanos,ſed artificio quodam & ſciētiâ oppugnationis, cuius rei Galli fuerint imperiti. Quare Cæſaris locus ille de Gallis omnibus, verus videtur: Aggeres,vineas,turres Galli neque viderant antea neque audierant. Sed tamen artificium illud Romanum Gallis veteribus defuerit, vis animi certè non defuit: & quidem in illa propugnationis conſtantia valde mirabile eſt quod ſeptimo libro à Cęſare memoratur, Galli bello Cimbrorum Teutonúmque in oppida compulſi grauíque fame & inopiâ ſubacti,eorũ corporibus qui ad bellum inutiles videbantur, vitam tolerauerunt, neque ſe hoſtibus tradiderunt:Cuius rei exemplũ in Alexiæ propugnatione Critognatus ſummo in Aruernis natus loco reuocandum cenſuit: & ſi antea non fuiſſet,tamen libertatis cauſſâ inſtituendum & poſteris prodi pulcherrimum eſſe diſputauit: Quæ ſentētia ſic à reliquis Gallis accepta eſt, vt omnia priùs experienda cenſerent quàm ad Critognati ſententiam deſcenderent: illo tamen potiùs vtendum conſilio, ſi res cogat atque auxilia morentur,quàm aut deditionem aut pacis ſubeundam conditionem. Tales igitur animos Gallia vetus habuit:Sed tamen propugna-

tio illa quamuis magnæ virtutis: attamen disci-
plinæ magnæ non fuit: Oppugnatio etiã rudior
sine aggere, sine vineis, sine turribus secundo li-
bro describitur. Gallorum eadem atque Belga-
rum oppugnatio est (ait Cæsar) Hi vbi circumie-
cta multitudine hominum totis mœnibus vn-
dique in murum lapides iaci cœpti sunt, murús-
que defensoribus nudatus est, testudine factâ,
portis succedunt murúmque subruunt. Quam-
obrem toto isto militiæ genere in locis fossa valló-
que munitis Gallorũ magna quidem virtus:
at disciplina aut nulla aut perexigua cernitur.
Atque hæc militia terrestris est. Naualis, quæ Bri
tãnico & Venetico bello tractatur, suam etiam
virtutẽ, sed simplicem, nec artificio magno ex-
tructam habuit. Nauium gallicarũ & materiam
& formam partibus omnibus Cæsar exprimit,
Naues (ait) ad hunc modum factæ armatæque
erant. carinæ aliquanto pleniores quàm Roma-
narũ nauiũ, quò faciliùs vada & decessum æstus
excipere possent: proræ admodum erectæ atque
item puppes ad magnitudinem fluctuũ tempe-
statúmque accommodatæ. naues totæ factæ ex
robore ad quamuis vim & contumeliam perfe-
rendam, trãstra ex pedalibus in altitudinem tra-
bibus confixa clauis ferreis, digiti pollicis craf-
situdine: Anchoræ pro funibus, ferreis cathenis
reuinctæ: Pelles pro velis alutæque tenuiter cõ-
fectæ, siue propter lini inopiã atque vsus insci-
tiam,

tiam, siue, quod est magis verisimile; quòd tantas tempestates Oceani tantósque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera nauium regi velis non satis commodè posse arbitrantur. Naues autem longas quibus Cæsar & Venetico & Britannico bello vsus est, Oceano ad illud tempus inusitatas fuisse locus ille quarti libri ostendit, Nam cùm Romani à Britãnis in Oceani litore premerentur, longas naues (quarum & species barbaris erat inusitatior & motus ad vsum expeditior, paulùm remoueri ab onerariis nauibus & remis incitari & ad latus apertum hostium constitui; atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac summoueri Cæsar iussit, quæ res magno vsui Romanis fuit: Nam & nauium figurâ & remorum motu & inusitato genere tormentorum permoti barbari, constiterunt ac paulùm modò pedem retulerunt. Sed hactenus veteres gallicæ militiæ mores è variis partibus collectos habemus naturæ potiùs robore, quàm disciplinę institutione magnos: Et quidem quoad virtute non fallaciâ & dolo bella gesta sunt, omnium gentium dominos. Quare, vt facere geographi consueuerũt, orbem terrarum ab occasu solis, ad ortum persequare, Britannia, Hispania, Italia, Germania; Illyricum, Pannonia, Græcia, Macedonia; Asia denique ipsa Gallorum imperium ostendet: Etenim Britannia maritima (vt ait Cæsar libro quinto) ab iis qui præ-

dæ ac belli inferendi cauſſâ ex Belgio tranſie-runt, qui omnes ferè his nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus cò peruenerunt, & bello illato, ibi remanſerunt atque agros colere cœperunt. Quid? Hiſpaniæ ſubactæ nonne Celtiberia teſtis eſt? vnde enim illud eſt Lucani?

—profugíque à gente vetuſta
Gallorum Celtæ, miſcentes nomen Iberis.

At Italia fortaſſe Gallorum dominatum non pertulit: Imò verò iam tum regnante Tarquinio Priſco, Bituriges, Aruerni, Senones, Hedui, Ambarri, Carnutes, Aulerci duce Belloueſo, Cænomani Elitouio, tum Salluuij, Boij, Lingonés Italiam ab Alpibus perpetuo Apennini iugo vſque ad Rubiconem Galliam fecere, tandémque Romanis ad Alliam cæſis, Romam cœpêre & incendêre, Capitoliúmque obſeſſum, auri mille pondo, pretium pacti, obſeſsis Romanorum reliquiis vendidêre. Quid Germania ferox, Galliæne conceſſit? Galli quondam (ait Cæſar libro ſexto) Germanos virtute ſuperabant: Itaque Volcæ Tectoſages, Sigoueſo duce, fertiliſſima Germaniæ loca ad Hercyniam ſyluam occupauêre, vt etiam Liuius ibidem author eſt. Tacitus eôdem præterea Heluetiorum & Boiorum colonias deducit. At hi Germaniæ victores Galli, Germanicâ frugulatitate fortiores & animoſiores facti, Illyrico, Pannoniâ, Græciâ, Macedoniâ,

niâ, Thraciâ, Asiâ latissimè gloriosissimeq; nominis sui famam propagarunt, vt ex Trogo Iustinus amplissimè profitetur, tantúsque gallici nominis terror fuit, vt etiam reges non lacessiti, vltrò pacem ingenti pecuniâ mercarentur. Ptolemæum Macedoniæ regem duce Belgio obtruncarunt: Brenno duce, quasi hominum spolia sorderent, Apollinis Delphicum templum oppugnarunt: deinde noua ex iisdem Germaniæ Gallis, manus fugatis Getis Triballísque, Antigono Macedoniæ rege castris exuto in Asiam profecti, tantùm terroris omnibus, (vt Liuius, ille gallici nominis tantus obtrectator, quadragesimo octauo libro ait) quę cis Taurum incolunt gentibus iniecerunt, vt quas adissent, quásque non adissent, pariter vltimæ propinquis, imperio parerent: Postremò cùm tres essent gentes, Tolistobogi, Trocmi, Tectosagi, in tres partes, quà cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diuiserunt, Trocmis, Hellesponti ora data, Tolistobogi Æolida, atque Ioniam, Tectosagi Mediterranea Asię sortiti sunt, & stipendium totâ cis Taurum Asiâ exigebant: sedem autem ipsi sibi circa Halyn flumen ceperunt, tantúsque terror eorum nominis erat, multitudine etiam, magnâ sobole, auctâ, vt Syriæ quoque ad postremum Reges, stipendium dare non abnuerent. Hæc Liuius de Gallorum transitu in Græciam & Asiam. Quamobrem dum

bella, virtute, vt dixi, non dolo gesta sunt, gallicę fortitudinis laudes iisdem quibus orientis occidentísq, solis cursus terminis, ac regionibus cótinebantur. Postea verò disciplinæ militaris inopiâ, sed multò maximè domesticâ inter se discordiâ dum Cęnomani Togatis, Massilienses Bracchatis, Hedui Comatis infensi, Romanos in patriæ seruitutem adiuuant, Galliam totam romano imperio prodidêre: imò verò vt gallicam virtutē imprimis hôc etiam suspiciamus & admiremur, Galli militari disciplinâ instructi, vniuersique vnum Cæsarem bellique faciendi præstantem doctorem nacti, imperium populi Romani, tot sæculorum bellis partum, quadriennio subuerterunt: solum enim Gallorum illum consensum, cui, vt Vercingetorix augurabatur, ne orbis quidem terrarum posset obsistere, solum, inquam, Gallorum consensum solámque Galliam contra reliquas tanti imperij prouincias Cęsar habuit: Macte igitur hâc virtute Galle esses, si pro patriæ dignitate & gloria, non pro tyrannide aliena Italiam, Hispaniam, Græciam, Ægyptum, Asiam, Africam, rursus Hispaniam, totum denique populi Romani imperium subegisses.

Sed de fortitudine satis, vel fortasse nimium, tēpus est de prudentia dicendi, Enimuerò disciplinarum studia (quibus hominis iudicium ad prudentiam confirmari solet) valde fuerunt in

veteribus Gallis inſignia. Druydes cuiuſque diſciplinæ profeſſores erant, Imprimis (ait Cæſar) hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem trãſire ad alios: atque hôc, maximè ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto:. Multa præterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortaliũ vi ac poteſtate diſputãt & iuuẽtuti tradunt. Hęc Cæſar de Gallorum diſciplina, ſed breuiter, ſed anguſtè: Itaque pleniùs & vberiùs explicemus. De Gallorum igitur ingeniis ad omnes diſciplinas percipiendas idoneis, illud ſcriptum Cæſar reliquit libro ſeptimo, quod antea citauimus, Genus ſummæ ſolertiæ atque ad omnia imitanda & efficienda quæ à quôque trandantur aptiſſimum: Sic & Diodorus (ait) Quamuis ſermone breui & ſubobſcuro atque ambiguo vtantur, tamen à doctrina minimè alienos eſſe: Cum quo Strabo conſentiens ait Gallos perſuaſione facilè adduci ad id quod ex vſu fuerit: Itaque diſciplinas & artes capeſſere. Ergo cupientibus ingeniis atque optantibus, diſciplinę cuiuſque generis iam initio illo mundi per Noëum patrem reſtituti traditæ ſunt: Nam ſi Beroſus ille verus eſt, qui hodie paſſim legentium manibus teritur, Dis primus gallicæ gentis author, ſapientiâ clarus fuit, indeque Semnothes appellatus, & ab eo ſapientiæ profeſſores Semnothei. At Beroſi hi-

ſtoriam Cęſaris locus ille videtur affirmare, Galli, ait, ſe omnes à Dite patre prognatos prædicãt, idque à Druydibus proditum dicunt: Ob eam cauſſam ſpatia omnis temporis, nõ numero dierum, ſed noctium definiunt, & dies natales, & menſium & annorum initia ſic obſeruãt, vt noctem dies ſubſequatur. Noctem verò dies ſubſequens Germanis etiam fuit, nec dierum numerum vt nos (ait Tacitus) ſed noctium computãt: Sic conſtituunt, ſic condicunt: nox ducere diem videtur. Atque illud fortaſſe populo vtrique in vſu fuit, horarum initia à media nocte ducere. Sed ad Ditem patrem & Semnotheos Beroſi redeo: cum quo congruit Ariſtotelis opinio, qui in Magico prodidit (vt author eſt Laërtius) philoſophiã à Gallorum Semnotheis initio profectam eſſe. Tradit Beroſus idem, Saronem tertium Galliæ regem vt ferociam primorum hominum contineret, publica literarum ſtudia inſtituiſſe: & de Saronidis poſtea pleniùs dicetur: Quartum fuiſſe Druyum, Vnde Druydes, de quibus à Cæſare plurima præcipientur: Quintum, Bardum, cuius gloria in Bardis poëtis & oratoribus celebrabitur. Quare diſciplinæ gallicæ antiquas profeſſiones & ipſa vetuſtatis effigie veneranda magiſteria perſpicimus. Marcellinus libro decimoquinto de Gallorum origine his ferè conſentanea tradidit, Ambigentes (ait) ſuper origine prima, Gallorum ſcriptores vete-

res,

res,notitiam reliquere negotij ſemiplenam: ſed poſtea Timagenes & diligentia Græcus & linguâ,quæ diu ſunt ignorata collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem ſecuti, obſcuritate dimota,eadem diſtinctè docebimus & apertè. Aborigines primos in his regionibus quidam viſos eſſe firmarunt, Celtas nomine regis Amabilis & matris eius vocabulo Galatas dictos (ita enim Gallos ſermo græcus appellat) Alij Dorienſes,antiquiorem ſecutos Herculem, Oceani locos inhabitaſſe confines. Draſidę memorant reuera fuiſſe populi partem indigenam: ſed alios quoque ab inſulis extimis confluxiſſe & tractibus tranſrhenanis, crebritate bellorum & alluuione feruidi maris ſedibus ſuis expulſos. Aiunt quidam paucos poſt excidium Troiæ fugitãtes Græcos vbiq; diſperſos, loca hæc occupaſſe tũc vacua. Regionum autem incolę id magis omnibus adſeuerant,quod etiam nos legimus in monumentis eorum inciſum: Amphitrionis filium Herculem ad Geryonis & Tauriſci ſęuorum tyrannorum perniciem feſtinaſſe, quorum alter Hiſpanias, alter Gallias infeſtabat, ſuperatíſque ambobus,coïſſe cum generoſis fœminis ſuſcepiſséque liberos plures,& eos,partes quibus imperitabant ſuis nominibus appellaſſe. A Phocęa verò Aſiaticus populus, Harpali inclementiam vitans Cyri regis, præfecti, Italiam nauigio petiit:cuius pars in Lucania Veliam: alia condidit

in Viennensi Massiliam: dein secutis ætatibus, oppida, auctâ virium copiâ, instituere nō pauca, sed declinanda varietas, sæpe satietati coniuncta. Post hoc loci hominibus paulatim excultis, ingruere studia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos & Eubages & Druydas. Hæc Marcellinus de Hercule, Beroso congruenter: Berosus enim ait ab Hercule ex Hispania reuertente Galatheam consensu parentum grauidatam esse, indéque natum Galathem, à quo Gallis nomen factum sit. Quamobrem disciplinæ Gallicæ vetustas, his testimoniis intelligitur: sed cuiusnam (inquies) disciplinę? Grammaticę (inquam) Rhetoricæ, Logicæ, Mathematicæ, Physicæ, Theologiæ. Grāmatica docebat literas legere & pingere: talis enim ars hæc fuit linguis integris neque dum peregrinorum colluuione corruptis: sic apud Platonem in Philebo Grāmatica Græca instituitur. Hîc mihi sentire videor, quid à plerisque doctis & eruditis ingeniis requiratur, quænam hæ veterum Gallorum literæ fuerint: Cæsar nempe sexto libro græcas fuisse confirmat, Disciplinas (ait) nefas esse existimāt literis mandari, cū in reliquis ferè rebus publicis priuatísque rationibus græcis vtantur literis. Hîc Cæsar non obscurè, sed planè ac disertè loquitur Gallos gręcis literis vsos esse, id est characteribus illis α, ϐ, γ, &c. Sic primo libro eiusdem rei testimonium est, In castris Heluetiorū, tabulæ

tabulæ repertæ sunt literis græcis confectæ: Enimuerò Cæsar literas illas quibus tum Galli vtebãtur grecas appellat: at ego gallicas appello, nec à Græcis in Galliam, sed à Gallia potiùs in Græciam venisse statuo. Quis literas primus inuenerit, grauis & magna quæstio est, variísque opinionum sententiis apud Plinium disceptata, vt literarum inuentum nullius esse gentis proprium, sed earum vsum æternum fuisse existimet. Cadmus (si verus est libellus Xenophonti cuidam attributus) è Phœnicia in Græciam primus sedecim literas detulisse dicitur & eas quidem Galatarũ & Mœonum characteribus persimiles: Hinc enim coniectura sit à Galatis ad Græcos literas venisse: Sed eiusdem rei sit illa nõ verisimilis cõiectura, sed certa è temporũ ratiocinatione & chronologia demõstratio, cùm disciplina Semnotheorum, Saronidarum Druydũm, Bardorum tam multis ante sæculis in Gallia floruerint quàm Cadmus ille in Græciam venisset, dubitãdum non esse quin gallici quoque characteres tam multis ante in Gallia sæculis vsũ fuerint. Et quidem id apud Varronem de lingua latina septimo libro significatur, Nam cùm Crates Græcus quæstionem grammaticam in Græcia agitaret, quærerétque cur non diceretur alpha alphatos, responderunt alij græci Grammatici, Hæc nõ sunt vocabula nostra, sed penitùs barbara. Hîc igitur nota Græcorum confes-

ſio eſt non has ipſorum literas eſſe. Itaque Ariſtoteles in Magico confeſſus eſt, vt ante dixi, philoſophiam à Celtarum Semnotheis initium cœpiſſe, & Galliam denique Græciæ magiſtram fuiſſe. At ſcio Gallos Straboni φιλέλληνας tanquã Græcorum amantes effici, adeò vt conuenta & pacta græcè conſcriberent, eloquentiæque ac philoſophiæ ſtudiis græcorum more dediti, liberalium artium profeſſores mercede conducerent, vt etiam Medicos: ſed de Maſſilienſibus & eorum vicinis id Strabo loquitur, & quidẽ iam imperãte Tyberio, quo tempore Romani principes (vt idem author ait) non iam Athenas, ſed Maſſiliam diſciplinæ gratiâ liberos ſuos deducebant. At per Deum immortalem diſciplinam gallicam à Dite, Semnothe, Sarone, Druyo, Bardo, priſcíſque illis doctoribus, tum hauſimus & expreſſimus, cùm Græcia ne literas quidem ſuſpicata adhuc eſſet. Paradoxa nonnullis abſona canere videbimur: At qui tot authores tantæque apud omnes fidei atque authoritatis cæteris in rebus audierint, non intelligo quamobrem obſtinata iudicij peruerſitate in patriæ ſuæ laudibus repudiare debeant. Atenim nihil illa nos adiuuant fortaſſe: nouis enim hic argumentis premimur: Galli enim (dicet aliquis) græcè etiã locuti ſunt, ideóque & græcis literis vſi. Imò vero (inquam) Galli Cæſaris tempore ne intellexerunt quidem græcum ſermonem, tantùm abfuit,

fuit,vt eo loquerentur. Cæsarem mearum partium assertorem vindicémque appellabo: Sic enim quinto libro loquitur, Cuidam (ait) ex equitibus Gallis, magnis præmiis persuadet, vti ad Ciceronem epistolam deferat: hanc græcis conscriptam literis mittit, ne interceptâ epistolâ, nostra ab hostibus cōsilia cognoscantur. Hæc Cæsar, vnde concludo hostibus Cæsaris & Gallis epistolam græcis literis conscriptam, sermonémque græcum ignotum fuisse: Nec attentè tamen consideranti verè probari potest, quod quibusdam tamen probatum esse video, gallicum quidem vulgus eius linguæ ignarum atque imperitum fuisse, sed primarios ciuitatis cuiusque viros græcè sciſſe, vt hodie sciunt latinè: Id (inquam) studiosè attendenti nequaquam verè probari potest, cùm in illo hostium tantō exercitu satis constet principes multarum vrbium primarióſque viros aliquos fuisse: Quin illud etiam è Cęsare ipso perdisco, Druydas ipsos gallicæ iuuentutis doctores ac magistros græcæ linguæ ignaros fuisse: Etenim Diuitiacus Heduus Gallorum Druydum Cicerone teste longè doctissimus fuit, Diuitiaci eiusdem summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, iustitiam, tempe-tantiam (vt est primo libro) Cæsar cognouerat, Cæsar (inquam) qui græcè luculenter sciret, quíque cum Diuitiaco de ipsius fratre Dūmnorige,

qui Cæsarem hostibus prodere credebatur, colloqui secretò cuperet, ne quid eorum efferretur. Quid igitur? Si Diuitiacus græcam linguam cum Cęsare communem habuisset, nunquid cõmunium vtrique consiliorum græca lingua interpres tum fuisset? At quotidianis interpretibus remotis (vt est eodem libro) per Valerium principem Galliæ prouinciæ Cæsar cum Diuitiaco colloquitur: Nõ videtur igitur Diuitiacus, quãuis è Druydibus primarius, græcè intellexisse neque omnino Gallis græcus sermo notus fuisse. Quis igitur (inquies) Gallorum veterum sermo fuit, si græcus non fuit? gallicus (inquam) sed respondere vbinam gẽtium gallicus ille sermo seruatus sit, Apollinis Pythij diuinatio quædam videatur, cùm satis constet Gallos gallicum sermonem iampridem dedidicisse, cùm non solùm Romanæ leges, sed legiones in Gallia constitutæ, Gallos cogerent Romanè loqui, qualésque omnino in Repub. sunt principes, tales (inquit Plato) solent esse reliqui ciues. Ergo forum Romanum, ergo militia Romana gallicam linguam aboleuit. Stipendia etiam professoribus publicis ab imperatore Romano proposita sunt ad latinam linguam publicè perdocendam; adeò vt qui libri hac corrupta nostrate lingua scripti sunt, non Galli, sed Romani vulgò nominentur. Quidam disputant Suitensium, qui hodie Heluetiorum sedes occupant, sermonem

sermonem, esse veterum Gallorum sermonem: verùm satis constit hos Suitenses indigenas Gallos non esse, cùm veteres illi Heluetij à Cæsare in suos montes reclusi postea à Quadis (vt Eutropius ait) & Quadi ipsi tādem ab Alemannis pulsi sint: Denique Vitę Saxones Heluetium agrum possedere; vnde Suitenses tanquam Vitēses (vt Beatus Rhenanus sentit) appellati sunt: Alij censent hodiernam Germanorū linguam, veterum Gallorum linguam fuisse, beatúmque Hieronymum authorem appellant, qui affirmet ætate sua Galatas Asiæ eodē sermone vsos esse, quo Treuiri ad Rhenum vterentur: At Cæsar cōtra videtur dicere, cùm ait primo libro Ariouistum Germanorum regem propter longinquam annorum (vt coniectura eo libro quędam est) quatuordecim consuetudinem, gallicâ linguâ vsum esse. Et Hieronymi ætas Treuiros Romano imperio in Gallia subiectos alios vidit, alios modò videmus cum cæteris Germanis cōmuni lingua sociatos: Vna superest hominum eruditorum opinio iudicantium Galliæ veteris sermonem eum esse quo Gallia Armorica (quæ Britānia est hodie) vtitur: nec enim vera illis est Francorum historia quæ Britannos ex insula Britanniæ in Armoricā Galliam deducit, cùm Cæsar (vt antea posui) Britanniam ipsam Gallorum coloniam faciat, & Strabo, Britanniæ oppidi in Armorica meminerit, & Plinius Britannos in

Gallia licet confusè: attamen numeret, & Tacitus in vita Agricolæ scribat à Gallis vicina insulæ litora occupari, sermonẽ verò haud multùm differre: Denique docti ex ea insula homines, existimant Vualos Angliæ propterea cum nostris Britonibus sermone congruere. Quamobrem hæc opinio sola adhuc mihi nota est, quæ probabilem persuasionem possit afferre. Atque hæc de Gallorum Grammatica in literis & sermone.

Quid Britannorum, quid Germanorum Grãmatica qualis fuit? Gallorum disciplina (ait Cæsar libro sexto) in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur: Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volũt, plerumque illò discendi caussâ proficiscuntur. Hic locus satis indicat Britannorum & Gallorum vnam disciplinam fuisse: Attamen cùm à Cæsare tum Britannia Gallorum facta sit & Britannorum sint humanissimi qui Galli, paulò credibilius illud fuerit à Gallia disciplinam eò peruenisse. Atque hic locus in vniuersum de tota Britannorum doctrina nobis sufficiet. De Germanis totum breuius est, Literarum secreta viri ac fœminæ pariter ignorant (ait Tacitus). Ergo Germania literas & disciplinas omnino nullas habuit. Æneas Syluius affirmat Adriani temporibus ciuilẽ cultũ cum literis in Germaniam venisse: Germani ipsi affirmant ab octingentis

annis germanicam linguam cœptam esse literis exscribi, atque vnà cum Christiana religione musas Germaniam commigrasse publicísque scholis & professoribus excultas adeò vt, quæ natio quondam barbarâ feritate nationibus omnibus horribilis esset, ea deinde omni ingeniorum cultu, omniúmque disciplinarum elegantia & humanitate, vel cum doctissima & literis eruditissima quauis gente de laudis huius principatu contenderit.

Quid Rhetoricæ quæ studia gallica fuerunt? summa nempe & in summo honore habita, & quidem vinctæ potiùs & numerosæ orationis quàm solutæ. Sunt apud Gallos (ait Diadorus libro sexto) melodiarũ poëtę, quos appellant Bardos; hi cum organis veluti cum lyra cantãt hos laudantes, alios vituperantes. Et ibidem, Poëtæ verò tanti apud eos fiunt, vt cùm instructa acie exercitus, eductis ensibus iactísque iaculis propinquant, non solùm amici, sed hostes quoque eorum interuentu à pugna quiescant. Ita apud agrestiores barbaros ira cedit sapientiæ, & Mars reueretur musas: Sic Straboni libro quarto Bardi sunt laudatores & poëtæ: Hinc etiam poëta Lucanus in Gallorum poëtarum laudes primo Pharsaliæ excitatur,

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates demittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Denique Marcellinus libro decimoquinto de Gallis, Bardi quidem (ait) fortia virorum illustrium facta heroïcis composita cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. Hanc nimirum Bardorum consuetudinem Romani sunt imitati: quos in Originibus tradidit Cato solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. Ergo quanta poëticæ facultatis gloria authoritásq; apud veteres Gallos fuerit, hinc intelligimus. Iam igitur Homeros, Hesiodos Græcia mihi commemoret, & in tanto apud Græcos honore fuisse prædicet. Ergo hanc Rhetoricam, atque hanc (vt ait Mela) facundiam Gallus habuit.

Quid Germanorum Rhetorica cuiusmodi fuit? Quamuis literarum secreta (vt iam patuit) ignorauerint: attamen (vt Tacitus author est) celebrabant carminibus antiquis suos deos & reges, ídque vnum apud illos memoriæ & annalium genus erat, nec quicquam præterea de veterum Germanorum disciplinis inuenio.

Quid Logica veterum Gallorum cuiusmodi fuit? Vnam quæstionem Gallorum & eam quidem pergrauem in Cæsare percipio de via & ratione docendæ iuuentutis, Omnes artes liberales & ingenuæ è scriptis libris ediscuntur, has magistri artium discipulis suis interpretantur, has discipuli cognoscūt, magnáque plerumque in retinenda hominum (quorum libri illi iuuen-

tuti proponũtur) authoritate, difficultas oritur, quoniam homines quantumlibet cæteris hominibus excellentes, attamen sunt humani & nonnunquam dormitare soliti: Itaque cùm eorum scripta tanquam catholica ponuntur, difficiles nonnunquam explicatus habent: At contrà nullo scripto, voce solâ, innumerabiles opificum artes ediscũtur, agricolarum, architectorum, nautarum, nec vlla in ambiguitate verborum, repugnantia sententiarum in ediscendo difficultas oritur. Id solum est in arte præceptum, quod vsus & vtilitas approbarunt: Ergo doctores illi professoresq; nostri nullam disciplinam scribere: quicquid iuuẽtuti traderent, voce tãtùm tradere consueuerant. Sed tamen rationibus aliis adducti nefas esse existimant (ait Cæsar sexto libro) disciplinas literis mandari. Quid ita? Cæsarem rogemus: hoc modo respondebit, Id mihi duabus de caussis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinas efferri velint, neque eos qui discunt, literis confisos, minùs memoriæ studere, quod ferè plerisque accidit, vt præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Has igitur duas caussas disciplinæ literis non mandandæ Druydes afferebant, & caussas quidem principum Græciæ philosophorum sententiis approbatas. Hæc enim Pythagoræ quondam fuit opinio, hæc etiam Socratis, qui ne literam quidem vllam

ſcriptam reliquerunt: Socratis ſententiam hac de re Plato in Phædro magnificè declarauit his verbis, quibus Socrates cum Phædro colloquitur, Socr. Reliquum eſt de ſcripturæ decoro vel indecoro, quid quomodo factum decenter aut indecenter accidat, nónne? Prædr. Sanè. Socr. noſtíne quomodo de ſermone agens aut præcipiens, Deo maximè placeas? Phædr. Nequaquam, tu verò? Socr. A maioribus quidem audiui, ſed ipſi verum norunt: Id verò ſi nos ipſi reperiamus, nónne nos in poſterum humanarum opinionum ſtudioſi eſſe debeamus? Phædr. Ridiculum rogas: ſed quæ te dicis inaudiſſe exponito. Socr. Audiui igitur circa Ægypti Naucratem, antiquorum deorum quendam fuiſſe, cui & ſacra ſit auis quam Ibim vocant, & ipſi Deo nomen Theuthati, cum autē primum numeri & calculi & Geometriæ & Aſtronomiæ, tum verò talorum & teſſerarum & literarum inuentorem eſſe: Tum verò vniuerſæ Ægypti rex Thamus fuit in magna ciuitate ſuperioris loci, quem Græci Ægyptias Thebas appellant: Deum autem Ammonem: ad hunc profectus Theuthates, artes oſtendit & ait Ægyptiis tradendas eſſe: Ille verò rogat quam quæque vtilitatem haberet, eóque demonſtrāte prout quídque rectè aut non rectè videretur, ſic improbauit aut laudauit: Multa quidem in vtrámque partem de vnaquaque arte Thamus cum Theu-
thate

thate disseruisse dicitur, quæ singula numerare perlongum esset. Cùm verò ad quæstionem de literis ventum esset, Hæc, ô Rex, disciplina (inquit Theuthates) sapientiores Ægyptios memoriâque promptiores efficiet: memoriæ enim & sapientiæ pharmacum id inuentum est. At ille, O subtilissime, & ingeniosissime Theuthates, alius quidem ad fabricanda artis opera habilior est, alius verò ad iudicandum aptior, quid detrimenti aut emolumenti eorum vsus habeat: At modò tu literarum pater, amore adductus, contrarium affirmasti quàm ipsæ possint: Hæ siquidem discentium animis obliuionem præbebunt, neglecto memoriæ studio, externis quippe scripturæ formis confisi interiores ipsas à se ipsis recordatione repetere & excolere desinent: Non igitur memoriæ, sed obliuionis pharmacum inuenisti: nec item discipulis veritatem sapientiæ, sed opinionem præbes: Nam cùm multa sine doctore perceperint, multa quoque scire videbuntur, cùm tamen vulgò ac passim ignari sint, atque in hominum congressu & consuetudine graues & importuni, vt qui sapientiæ opinione, non sapientiâ sunt imbuti. Phædr. Facilè tu quidem ô Socrates Ægyptios & cuiusuis gentis sermones fingis. Socr. At ô amice, qui in Iouis Dodonei templo sunt, fatidicos sermones primùm aiunt quercus fuisse: antiquis enim temporum illorum homini-

bus qui nequaquam adolescentiæ vestræ sapientiam assequerentur, satis erat ob ruditatem & inscientiam quercum & petram audire, modò vera dicerent: Tu fortasse interesse putas quis cuiásue dixerit, neque solùm consideras, siccine an secus habeat. Phędr. Iure me quidem perculisti: Ac mihi quod ad literas attinet, ita videtur esse quemadmodum Thebanus ait. Socr. Quare qui putat artem literis ita mandari percipíue posse, tanquam certum quiddam aut firmum è literis futurum sit, vehementer ille quidem ineptus sit, ac reuera oraculum Ammonis ignoret, pluris esse scriptas rationes existimans, quàm si ipse scientia ac recordatione, quæ literis tradita sunt, comprehenderit. Phædr. Rectissimè. Socr. Magnum vtique ô Phædre id habet scriptura & pictis animantibus reuera simile: hæc enim opera, constant tanquam viua: at si quippiam interroges, permodestè pérque verecundè silent: Idem verò etiam putes scriptos sermones, tanquam aliquid intelligentes dicere: At si discendi cupidus, aliquid eorum quæ dicunt interroges, vnum & idem quippiam perpetuò significant, atque vbi semel sermo scriptus est, vsquequaque agitatur, similiter à doctis & intelligentibus atque ab iis quos nihil deceat, neque potest dicere à quibus deceat aut non deceat, contumeliosèque & iniuriosè tractatus, paterni auxilij semper indiget: ne-

que

que enim acceptas iniurias vlcisci, neque sibi ipsi opitulari potest. Phædr. Atqui hæc à te verissimè dicta sunt. Socr. Quid verò, nónne videmus quomodo alius sermo huius ipsius germanus frater fiat, quantóque præstantior eo potentiórque nascatur? Phædr. Quémnam hunc & quomodo fieri dicis? Socr. Qui cum scientia scribitur in discentis animo: potest enim se ipsum vlcisci, nouítque quæ apud quos dicenda ac tacenda sint. Phædr. Scientis sermonem dicis viuum atque animatum, cuius scriptus, imago quædam meritò dicatur. Socr. Dic igitur mihi bonâ fide, vtrum prudẽs agricola ea semina de quibus sollicitus sit quæque fructuosa sibi velit esse, verno tẽpore in Adonidis hortis sparsa gaudeat, cùm eos octauo die florentes aspiciet, an potiùs si quando hæc faciat, ludi ac festi diei gratia faciet? In quibus autem elaborarit & agriculturæ secutus artem seminauerit vbi deceat, satis se consecutum putabit, si octauo post mense, sementis ad maturitatem peruenerit? Phædr. Sic verò ô Socrates, alia verò aliter, vt ais, faciat. Socr. Dicemúsne hominem iustorum & pulchrorum & bonorum scientias possidentem in semente facienda, agricolâ imperitiorem? Phædr. Minimè. Socr. non igitur seriò semina sua in aqua nigra scribet calamo, sermonibus spargens, cùm nequeat neque ipsis sermonẹ opitulari, neque verum satis accuratè demõ-

ſtrare. Phædr. Atqui id probabile non eſt. Socr. Non ſanè, verùm in literis hortos, vt par eſt, ludi gratiâ ſeret ac ſcribet: quando autem commentarios tanquam theſauros (ne fortè in obliuionis infirmitatem incidat) tum ſibi, tum cuiuis eadem veſtigia ſectanti conficit, lætabitur vtique tenellos fœtus aſpiciens, cúmque cæteri oblectamentis aliis conuiuiíſque ac ſimilibus deliciis fruentur, interim ille his omnibus longè poſthabitis, otium ſermone oblectabit. Phædr. Præclarum ô Socrates pro vili atque ignauo ludum narras, eius qui in ſermonibus ludere, déque iuſtitia atque aliis quæ tu commemoras, confabulari poſſit. Hæc Socratis eſt opinio, ſed opinione noſtrorum Druydum paulò mitior atque humanior: Anteponit Socrates viuæ vocis ac memoriæ ſcientiam, mortuæ ſcripturæ, ſed ſcripturam tamen aduerſus obliuionis infirmitatem permittit: quæ vtinam ſententia Druydibus perinde placuiſſet, nec enim externis Græcorum bonis egeremus, ſed patriis abundaremus, neque per latinos grǽcóſque interpretes, diſciplinas maximis peregrinarum linguarum laboribus ac ſtudiis audiremus, ſed magna ſuauitate animi ac voluptate, penè vnà cum lacte nutricis hauriremus. Hominis adoleſcentia latinis græcíſque literis perdiſcēdis vix ac ne vix quidē plerumq; quamlibet auida ſufficit, id eſt è liberalium ſtudiorum carceribus nondum egredimur

egredimur cùm metam attingere debeamus: Homerum, Demosthenem, Virgilium, Ciceronem lõginquo & diuturno græcæ ac latinæ linguæ studio cognoscimus: At Bardorum nostrorum hymnos & poëmata vt intelligentia mentis, vt vocis sonus à natura tribueretur, sic cum lætitia sine labore cantaremus: hic patriæ, hic etiam virtutis nimium tetricus amor fuit: Dum Druydes Galliam non solùm armorum, sed disciplinarũ laude cæteris gentibus perpetuò præstantiorem esse, dum ex animis Gallorum, desidiam fugare cupiunt, posteros suos longè amplissimo præclarissimóque antiquæ disciplinæ patrimonio exhęredarunt, atque ita gallicas artes ac doctrinas, quas tamen illo nihil scribendi argumento semper viuas, semper florentes fore sperabãt, sempiternâ obliuione sepultas obruerunt. Sed frustra lamentamur: & vota tamen quamuis inania supersunt: & romanæ ambitionis improbitas hîc fortasse iustiùs accusari possit, quæ Druydum scholas euertit: Ergo vt ait poëta,

Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.

Ad Mathematicas artes accedamus, de quibus Cæsar hæc breuiter attingit, Multa (inquit) de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura disputant. Hæ nimirum patriæ atque auitæ Ditis, Saronis, Druyj disciplinæ fuerant, quas etiam illi à

proauis ſuis per manus traditas conſeruauerant: De veteribus enim ante diluuium patribus, à quibus mathematicæ contemplationes hæ obſeruatę fuerāt, primo libro Antiquitatum iudaicarum Ioſephus teſtis eſt, ne hæc inuenta tam nobilia aquarum inundationibus perirent, duabus excitatis columnis alteri latericiæ, alteri lapideæ ſeparatim inſcripta, vt ſi latericia diluuio deleretur, lapidea reliqua ſuperſtes, hominibus diſcendi poteſtatem faceret, & quæ ſcripta continebat, ſpeculanda exhiberet: Lapideam verò Veſpaſiani tēpore adhuc in Syria fuiſſe author idem teſtis eſt. Item quomodo deinceps Ægyptij ab Abrahamo didicerūt, Euſebius idem ferè (ait) & à Græcis has artes tandem literis mandatas & in vulgus editas ac publicatas eſſe. Sed Druydes noſtri, tanquam per manus (vt dixi) à patribus acceptas ita poſteris prodidere: multa de ſideribus eorúmque motu diſputāt: Sic apud Melam Druydes motus cæli ac ſiderum profitētur. Aſtrologia fuit, quę nullo modo ſine præcedentibus Arithmeticæ & Geometriæ ſtudiis doceri diſcíue potuit: motus enim, calculus, Arithmeticæ numeros, ſiderum ſpatia atque interualla, Geometriæ figuras poſtulabant. Ergo cùm Aſtrologiam Druydes explicarēt, explicādæ Aſtrologię adminiſtras artes Arithmeticam & Geômetriam explicabant. Atque in Bardorum hymnis & poëmatis muſicam fuiſſe quan-

dam

dam Berosus ostendit, Apud Celtas (ait) Bardus inuentione carminum & Musicæ inclytus fuit. Multa de mundi ac terrarũ magnitudine Druydes disputant. Ista est terræ mundíque magnitudo ac forma quàm Mela dicit à Druydibus doceri : hæc erat Cosmographia Geographiáque, quæ mundi longitudo esset ab occasu versùs ortum, quę latitudo ab Æquatore versus vtrúmque polum, quanta zonarum quinque spatia à polo ad minimũ circulum, ab eo ad tropicum, à quo rursus ad Æquatorem medium, quæ terrarum zonę, cœlestibus zonis essent attributę ac subiectæ, quæ earum vel frigore vel æstu desertæ essent & incultæ, quæ temperatæ, qua deniq; terrarum diuisione Europa, Africa, Asia essent abstractæ Multa de rerũ natura Druydes disputāt. Hoc Physicæ fuit de principiis materia quippe formáq; rerũ, igne, aëre, aqua, terra, vnde omnia gignerentur, interirēt, augerētur, decrescerēt, alterarētur, loco mouerētur: Huius tam multiplicis támq; varię doctrinę Galli professores, à Strabone Vates, qui præter cætera physica illud imprimis patriũ oraculum docebāt mundũ (vt ait idem) aliquãdo igne atque aquâ periturum. Doctores iidem, vocantur à Marcellino Eubages, Eubages verò (ait) scrutantes summa & subintima naturæ, pandere conabantur. Quare nobiles hæ disciplinæ gallica voce, gallico sermone gallis tradebantur : Atque in his duos excellentes philosophos Ciceronis oratione lauda-

tionéque æternitati consecratos saltem possumus appellare, Diuitiacum, de quo iam dictum est, Heduorum principem, & Deiotarum Gallorum in Asia regem: Dic igitur M. Tulli, nostrorum Druydum memoriã istam nobis expone, In Gallia Druydę sunt, è quibus ipse Diuitiacum Heduum hospité laudatorémque cognoui, qui & naturæ rationem quam Physiologiam Gręci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim auguriis, partim coniecturâ quę essent futura dicebat. Hic è Druydibus Diuitiacus & Ciceronis, vt credibile, hac ipsa Druydum sapientiâ hospes appellatur. Quid Diotarus, quomodo celebratur ab hoc oratore? Iam quid ego (ait) hospitem nostrum clarissimum atque optimum virum Deiotarum regem commemorem qui nihil vnquam nisi auspicatò gerit? qui cùm ex itinere quodam proposito & constituto reuertisset, aquilæ admonitus volatu, conclaue illud vbi erat mansurus si ire perrexisset, proxima nocte corruit: Itaq; vt ex ipso audiebam, persępe reuertit ex itinere, cùm iam progressus esset multorum dierum viam: Cuius quidem hoc præclarissimum est, quod posteaquàm à Cæsare tetrarchiæ regno pecuniáq; multatus: negat se tamen eorum auspiciorum quę sibi ad Pompeium proficiscenti, secunda euenerunt pœnitere: Senatus enim authoritatem & populi Romani libertatem atque imperij dignitatem suis armis esse de-

fensam

fensam, sibíque eas aues quibus authoribus officium & fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Hæc Cicero, cui & hanc Gallia Galatiáque debent æternam gratiam, quòd duos earum philosophos ipsis tam insigni testimonio conseruarit: Quid enim hîc nisi lachrymas miseriæ nostræ testes proferre possum? Imperabat olim Gallia Italis & Græcis, próque vilibus fortunæ bonis stipendij loco appensis, longè pretiosissimas opes animi rependebat: Gloriosa est Græcia Italiáque Mathematicis & Philosophis: at gloria hæc quondam nostra fuit, è nostris fontibus laudes illę fluxerunt, sed fontes ideò exaruerunt, quia scripturâ muniri & custodiri noluerunt: haberet enim Gallia Gallos Euclides, Ptolemęos, Platones, Aristoteles, vel iis omnibus multò pręstantiores. Sed lamentari desinamus, ad Gallorum Theologiam veniamus.

Druydes imprimis hoc volũt persuadere non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hôc maximè ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Hanc immortalitatis persuasionem, summum in religione & Theologia Gallorum veluti fundamentum statuo: quod Græci certatim Latiníq; celebrauere, Galli (ait Diodorus) sumpto cibo consueuerunt prouocatione certare nullâ habitâ vitæ curâ: increbuit enim apud eos Pythagoræ

ſententia, animas hominum immortales eſſe, rurſúſque eas defunctis corporibus, poſt certum tempus in alia corpora reuerti. Itaque in defunctorum pyram epiſtolas quidam coniiciũt tanquam eas mortui ſint lecturi. Idem Strabo de Gallis profitetur, Affirmãt (ait) animas corrumpi non poſſe: Sic Mela, Vnum ex iis quæ Druydes pręcipiunt effluit, videlicet vt forent ad bella meliores, æternas eſſe animas, vitámque alteram ad manes: itaque cùm mortuos cremant ac defodiunt, apta viuentibus olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos, erántque qui ſe in rogos ſuorum velut vnà victuri, libenter immitterent. Hæc Mela, vbi & perſuaſionis eandem cauſſam videmus quàm in Cæſare, vt Galli contemptu mortis, fortiores eſſent atque ad bella meliores: Et veriſimile eſt inde ortam eſſe illam mortis contemptionem, de qua iam antea dixi. Idem Valerius Maximus libro ſecundo prodidit, Vetus ille mos (ait) Gallorum occurrit, quos memoriâ proditum eſt pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare, quia perſuaſum habuerint animas hominum immortales eſſe: dicerem ſtultos, niſi idem bracchati ſenſiſſet, quod palliatus Pythagoras credidit. Tot igitur authores cum Cæſare de gallica immortalitatis perſuaſione conſentiunt. Sed prætereundum eſſe non arbitror quod authores hi quidlibet potiùs quàm Gallos philo-

philoſophiæ primos authores eſſe fateantur. Pythagoras dixit animos immortales eſſe, quem Plato deinde ſecutus eſt: atque illa nimirum eſt apud Ouidium philoſophi ſententia,

Morte carent animæ, ſempérque priore relictâ
Sede, nouis domibus viuunt habitántque receptæ.

Hæc inquam, Pythagoræ ſententia eſt, vnde Græcis illis & Latinis teſtibus, Galli videlicet Pythagorei facti ſunt & hāc immortalitatis opinionem mutuati. Qui quantæ ambitionis ſit error hinc intelligi & diiudicari poteſt, quòd infinitis ante natum Pythagoram temporibus, hæc apud Gallos Druydum perſuaſio viguerit: vnde, quod antea ſtatui, rurſus affirmo Græciam Galliæ non magiſtram, ſed diſcipulam fuiſſe: Nec tamen ſtultam illam μετεμψύχωσιν quam Pythagoras aſſerebat ex humanis corporibus in quælibet alia vel pecudum corpora Galli ſequebātur, cùm ſe non ex hominibus beſtias, ſed homines corporibus aliis futuros crederent: Sic Lucanus,

—Vobis authoribus, vmbræ
Non tacitas Erebi ſedes Ditíſque profundi
Pallida regna petunt, regit idem ſpiritus artus,
Orbe alio longè canitis ſi cognita vitæ.

Verùm cætera gallicæ religionis capita perſequamur. Multa de vi ac poteſtate deorū immortaliū diſputant, & quid dij velint (ait Mela) ſcire profitentur: Deos nempe Mercuriū, Apollinem,

Mineruam, Iouem, Martem colebant: déque iis eandem ferè quam reliquæ gentes habebāt opinionem. Mercurium inuentorem artium, viarum atque itinerum ducem ad quæstus pecuniæ mercatúsque habere vim maximam: Ille nimirum Caduceator qui fingitur à poëta,

Dixerat, ille patris magni parere parabat
Imperio: & primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos adimítque & lumina morte resignat.

Illa enim virga, vis est & facultas artium, vnde etiam itinerum ductus & quæstus mercatorum. Iulianus Cæsar Mercurio supplicabat, quem in mundo (ait Marcellinus) velociorem sensum esse, motus mentium suscitātem theologicis prodidere doctrinis. Sed Druydes ea Mercurium posse disputabant: Apollinem morbos depellere, quod apud Ouidium Deus ipse testatur,

Inuentum, medicina, meum est, opiféxque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Quid de Minerua? operum atque artificiorum initia tradere, ideóque fingitur à poëtis è cerebro Iouis patris nata: Iouem imperiū cælestium tenere, Martem bella regere, Huic, cùm prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello cœperint plerumque deuouent: quæ superauerint anima-

ail

lia capta immolant, reliquas res in vnum locum cōferunt. Diodorus eadem ferè, Captiuos quoque ſacrificant diis. Acerbum (inquies) exemplum, fateor, ſed romanũ, inquam, apud quos triumphati hoſtium duces in carcere necabantur, imò in publico populi ſpectaculo, beſtiis interdum obiiciebantur. Quidam Galli de hoſtibus capta animantia vnà cum hominibus interfecta in ſacris comburunt, aut aliis afficiunt pœnis: Priuati aliquid etiam admirabile ſuperiores Celtæ in Deorum immortalium templis obſeruant, vt in ſacris templíſque plurimùm auri ſpargant, neque illud incolarum quiſquam, quamuis gens auri ſit auida, propter religionem audet contingere. Sed iſtæ Marti conuenientes victimæ fortaſſe videantur, qui poëtis græcis βροτολοιγὸς, homicida nominatur. At iſta reliquorum deorum ſacra communia fuere, Natio eſt (ait Cęſar) omnium Gallorũ, admodum dedita religionibus: atque ob eam cauſſam qui ſunt affecti grauioribus morbis, quique in prælis periculíſque verſantur aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vouent: quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe deorum immortalium numen placari arbitrantur: publicéque eius generis habent inſtituta ſacrificia. Admiranda verò religio, & mirabilis de deorum vi ac poteſtate perſuaſio, de qua etiã nõ mitiora à gręcis authoribus affirmã-

tur. Philoſophi quoque (ait Diodorus) ac Theologi quos vocant Saronidas, præcipuè ab illis coluntur: vtuntur inſuper diuinatoribus, qui apud eos, cùm & auguriis & ſacrificiis futura prædicunt, plurimi exiſtimantur, omni eis obtemperante plebe: Cùm verò de rebus magnis conſultant, mirabilem incredibilémque ſeruant conſuetudinem. Iugulant enim enſe hominem, quo decidēte tum ex caſu, tum ex membrorum laceratione, tum etiam ex ſanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum obſeruatione, norunt futura. Eſt apud eos moris nullum abſq; philoſopho ſacrificium facere: exiſtimant enim per diuinæ naturæ conſcios, ſacra fieri oportere, tanquam deis propinquiores: horum interceſſione bona ab diis cenſent petenda, quorum conſilio, & pace & bello fruuntur. Quò videtur etiam illud Cæſaris referendum eſſe, cùm quinto belli gallici ait, qui nouiſſimus ad concilium armatum venerit in conſpectu multitudinis, omnibus cruciatibus affectum necari. Sed illud à Strabone præterea additur, quod in templis hominem ſuffixum cruci, ſagittis conficerent. Recitat idem author à Poſſidonio & Artemidoro alia quædam, ſed quæ ipſe fabuloſa arbitratur de mulierum quarumdam ad inſulam Ligeris oſtio vicinam bacchanalibus, déque duorum coruorum alis dextris albicantium auguriis: veriſimiliùs autem putat quod

Artemi-

Artemidorus idem tradiderit ad insulam Britanniç proximam similia Samothracibus Cereri ac Proserpinæ sacra fieri. Pergit Cæsar his similia narrare, Alij immani magnitudine simulachra habēt, quorum contexta viminibus mēbra viuis hominibus complent, quibus succensis, circūmuenti flammâ, exanimantur homines: Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut in aliqua noxa sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur: sed cùm eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. De statuis illis eadem Strabo, Instruebant ligneū colossum fœno contextum, in cōque pecudes & omnis generis bestias vnàque homines concremabāt. Sic Diodorus, Pari suæ feritati impietate in deorum sacrificiis abutuntur: Noxios enim quinquennio seruatos, sudibus affixos diis sacrificant, cúmque aliis primitiis super ingentes pyras immolant. Sic Mela de Galliis, Gentes superbæ, superstitiosæ, aliquando etiam immanes, adeò vt hominem optimam & gratissimam diis victimam crederent. Ac ne statuas illas gallicorum deorum immani magnitudine nimium mirere, recordare quæ Plinius de colossis libri tricesimi quarti capite septimo tradiderit, Moles quippe excogitatas videmus statuarum (ait) quas colossos vocant, turribus pares. Hîc ab eo numerantur cubitorum Capitolinus Apollo trigin-

ta,Iuppiter Tarentinus quadraginta, Sol Rhodius septuaginta,cuius pollicem pauci vix complectantur, Apollo Tuscanicus in bibliotheca templi Augusti quinquaginta pedum à pollice, Nero centum decem pedum: Verùm (ait) omnem amplitudinem eius generis statuarum vicit ætate nostrâ Zenodorus Mercurio facto in ciuitate Galliæ Aruernis per annos decem, pedum quadringentorum immani pretio. Ergo tales gallicorum deorum statuæ, immani prorsus (vt Cæsar loquitur) magnitudine, quas viuis hominibus complebant. Atrocitas,inquies, religionis horrenda: verum, inquam, sed atrocitas gentium communis, vel potiùs gentilium dæmonum propria: Sic enim quondam humanis hostiis litabant ferè gentes omnes. Liuius post Cannensem pugnam scribit tales hostias Romæ fuisse, Interim (ait) ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra viui demissi sunt in locum saxo conseptum, ibi antè hostiis humanis minimè Romano sacro imbutum. Hæc Liuius. Neque iam Arabes, Thraces, Scythas, Ægyptios Græcósue ad istam fidem memorem, cùm etiam Dionysius Halicarnassæus primo libro antiquitatum Romanarum doceat, Iouem & Apollinem, quoniam decima nascentium hominum non immolaretur, vniuersæ Italiæ grauissimas

uiſſimas calamitates importaſſe. Diodorus viceſimo hiſtoriæ libro Saturni ſtatuam & talia ſacrificia, huiuſmodi narrat Carthagine dum adhuc incolumis ſtaret fuiſſe, Dicebant autem, ait, Saturnum illis iratum fuiſſe, quoniam priùs ipſi excellentiores ex filiis ſuis ſacrificabant: Poſtea verò clam emptis infantibus atque educatis, liberorum loco immolabant: cúmque diligenti facta inquiſitione multi ex ſuppoſitis inuenirentur ſacrificari, facilè animis induxerunt vt crederent ad obſeſſionem vrbis hoſtes idcirco diuinitùs miſſos fuiſſe, quoniam priſcos deorum honores non ſeruarét: Itaque deos placare ſtudentes, ducentos ex nobiliſſimis adoleſcentibus publicè ſacrificarunt. trecenti verò alij, quoniam ſuſpectos ſe eſſe videbant, ſponte ſe tradiderunt. Erat autem apud eos ænea Saturni ſtatua magnitudine mirabilis, cuius manus in terram extenſæ ita erant in gyrum, vt qui ad eum prouenire adoleſcentes cogebantur, in ingentem foueam ignis repletam inciderent. Plura verò religionis huius apud varias gentes exempla commemorat Euſebius libri quarti capite ſeptimo, ſi quis ampliora teſtimonia deſideret, vbi ait imperatoris Adriani temporibus euangelicâ iam paſſim coruſcante doctrinâ, talem immanitatem diſſolutam eſſe, apud Celtas tamen adhuc permanſiſſe: Mela tamen ætate ſua deſiiſſe ſcribit, Manent, veſti-

gia feritatis, ait, iam abolitæ, atque vt ab vltimis cædibus temperant, ita nihilominus vbi deuotas altaribus admouere, delibant. Ergo ista Gallorum sinistra sacra sunt, quæ Lucanus ait,

Et vos barbaricos ritus morémque sinistrum
Sacrorum Druydæ positis repetistis ab armis,
Solis nosse deos & cæli numina vobis,
Aut solis nescire datum.——

Sed de Gallorum sacrificiis satis. Quid Britannorum & Germanorum sacra? Britannorum disciplinam eandem fuisse diximus. Germani autem (ait Cæsar) multum ab hac consuetudine differunt: Nam neque Druydas habent qui rebus diuinis præsint, neque sacrificiis student: Deorum numero eos solos ducũt, quos cernunt & quorum apertè operibus iuuantur, Solem & Vulcanum & Lunam, reliquos ne famâ quidem acceperunt. Hæc Cæsar: Tacitus tamẽ, Germanorum deos præterea nominat Tuistonem Deum terrâ editum, & filium Mannum originem gentis cõditorésque: Mannique filios, è quorũ nominibus proximi Oceano Ingæuones, medij, Hermiones, cæteri Istæuones vocantur: Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent: Herculem ac Martem concessis animalibus placant: Pars Sueuorum & Isidi sacrificat: Vnde caussa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum

dum liburnæ figuratum, docet aduectam religionem: Cæterùm nec cohibere parietibus deos, neque in vllam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, deorúmque nominibus appellant ſecretum illud quod ſolâ reuerentia vident. Cæſar ipſe primo libro ſortes mulierum Germanis tribuit, Cùm ex captiuis (ait) quæreret Cæſar, quamobrem Ariouiſtus prælio non decertaret, hanc reperiebat cauſſam, quòd apud Germanos ea conſuetudo eſſet, vt matreſfamiliàs eorum ſortibus & vaticinationibus declararent vtrum prælium committi ex vſu eſſet necne: Eas ita dicere, non eſſe fas Germanos ſuperare, ſi ante nouam Lunam prælio contendiſſent. Sed de his diuinationibus longè plura Tacitus, Auſpicia (ait) ſortéſque, vt qui maximè obſeruant: Sortium conſuetudo ſimplex, virgâ frugiferę arbori deciſam, in ſurculos amputant, eóſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temerè ac fortuitò ſpargunt, mox ſi publicè conſulatur, ſacerdos ciuitatis, ſin priuatim, ipſe pater familiæ precatus deos cœlúmque ſuſpiciẽs, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecũdum impreſſam antè notam interpretatur: Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diẽ conſultatio: ſin permiſſum, auſpiciorũ adhuc fides exigitur: & illud quidem etiã hic notum, auium voces volatúſq; interrogare: Propriũ gen-

tis equorũ quoque pręsagia ac monitus experiri: publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis cãdidi & nullo mortali opere cõtacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps ciuitatis comitantur hinnitúsque ac fremitus obseruant: Nec vlli auspicio maior fides non solũ apud plebẽ, sed apud proceres, apud sacerdotes: Se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est & alia obseruatio auspiciorũ, qua grauium bellorũ euentus explorant: eius gentis cum qua bellum est, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quémque armis committũt: victoria huius vel illius pro pręiudicio accipitur. Reliqui religionis mores in Cęsare sunt funerum, Funera (ait) sunt pro cultu Gallorum magnifica & sumptuosa, omnia quæ viuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: ac paulò supra hanc memoriam serui ac clientes quos ab his dilectos esse cõstabat, iustis funeribus confectis vnà cremabãtur. Hæc Cæsar. Itaque Pausanias decimo libro ridiculus est de bello Brenni, vbi docet mortuorum sepulturã à Gallis despici, vt immanitatis huius opinione magis hostem, terreat, quod mortuos more cæterorũ hominũ nulla commiseratione prósequãtur. Pausaniã refellit hîc Cæsar, refellit & Liuius de Gallis Romã obsidentibus, Iam pigritia (ait quinto libro tertiæ decadis) singulos sepeliẽdi, promiscuè aceruatos cumulos homi-

 num

nũ vrebant, buſtorũque inde gallicorũ nomine inſignẽ locũ fecere. Quod verò Cęſar ait omnia quæ cordi mortuo fuerint in ignẽ inferri ſolita, ſic Romæ in Iulij ipſius rogũ tibicines diſciſſam veſtem, legionarij arma, matronæ bullas liberorúmque prætextas iniecerũt. De ſeruis ac clientibus, viuis an mortuis, Cæſar non ſatis apertè loquitur: de viuis vt intelligi poſsit, facit illud Melæ dictum, Erántque qui ſe in rogos ſuorum velut vnà victuri libenter immitterẽt. Tale verò eſt exemplũ quinta Ciceronis Tuſculana, Mulieres verò in India cùm eſt cuiuſque earum vir mortuus, in certamen iudiciúmque veniunt, quam plurimùm ille dilexerit (plures enim ſolẽt eſſe ſingulis nuptæ) quæ victrix, ea læta proſequentibus ſuis vnà cum viro in rogum imponitur, illa victa, mæſta diſcedit. Atque hæc tamen morum acerbitas ad illos humanarum hoſtiarum mores aggreganda eſt. Tacitus de Germanorum funeribus ita loquitur, Corpora ſuorum (ait) in dubiis præliis referunt. Item, funerum nulla ambitio: Id ſolùm obſeruatur, vt corpora clarorum virorũ certis lignis crementur: Struem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulant, ſua cuique arma, quorundam igni & equus adiicitur: Sepulchrũ ceſpes erigit: Monumẽtorum arduum & operoſum honorem, vt grauem defunctis, aſpernantur: Lamenta ac lachrymas citò, dolorem & triſtitiam tardè ponunt: Fœminis

lugere honestum est:viris meminisse. Sed de sacrificiis veterum Gallorum totáque disciplina. Plinius libri tricesimi capite primo,dum in magicam artem tanquam fraudulentissimam inuehitur,videtur Druydum etiam nostrorum disciplinam eodem crimine complecti, Auctoritatem ei (de magica arte ait) maximã fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexã, in vnam se redegit: Natam primùm è medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorẽ sanctioremque, quàm medicinã, ita blãdissimis desideratissimísque promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atque vt hoc quoque suggesserit miscuisse artes mathematicas nullo non auido futura de sese sciendi: atque ea è cœlo verisimè peti credente. Ita possessis hominum sensibus, triplici vinculo in tantum fastigij adoleuit,vt hodiéq; etiã in magna parte gẽtium præualeat,& in Oriẽte regib⁹ imperet,hinc magica factio persica,mosaica,Cypria: Sexcentesimo septuagesimo septimo demũ anno vrbis Cn., Cornelio Lentulo, Publ. Licinio Crasso Coss. senatusconsultum factum est,ne homo immolaretur,palámque ad tempus siluit sacri prodigiosi celebratio, Gallias vtique possedit & quidem ad nostram memoriam: Námque Tyberij Cæsaris principatus, sustulit Druydas eorũ & hoc

genus

genus vatum medicorúmque. Quid ipse ego hâc memorem artem, Oceanum quoque transgressam & ad naturæ inane peruectam in Britanniam, quæ hodie eam attonitè celebrat tantis cæremoniis, vt dedisse Persis videri posit? Adeò ista toto mundo consensere, quanquam discordi & sibi ignoto. Non satis æstimari potest quantùm Romanis debeatur, qui sustulere monstra in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi verò etiam saluberrimum. Hæc Plinius, quibus præter artes illas à nobis enumeratas medicinam Gallis Druydibus attribuit, sed iis artibus tectas fraudes vehemẽter arguit, Romanósque verè laudat quorũ imperio sublata sint mõstra: Atque vtinam tantùm fraudes artiũ sustulissent: artes autem ipsas earúmq; scholas ac professiones non etiã sustulissẽt, tum demum veram illis gratiã gloriámque deberemus. At Tyberius Druydas omnino sustulit (ait Plinius). Sed idem aliquot exemplis Druydum magicam detexit, vt libri decimi sexti capite vltimo de visco, Non est omittenda (ait) in ea re & Galliarum admiratio, Nihil habent Druydes (ita suos appellant magos) visco & arbore in qua gignatur (si modò sit robur) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione græca posint Druydes videri. Enimuerò quicquid adnascatur illis, è cœlo

missum putant, signúmque esse electæ ab ipso deo arboris: Est autem id rarum admodum inuentu: & repertum, magna religione petitur, & ante omnia, sextâ lunâ, quæ principia mensium annorúmq; his facit, & sæculi post xxx·annum, quia iam viriū abunde habeat, nec sit sui dimidia. omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificio epulísque ritè, sub arbore præparatis, duos admouēt candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur: Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago: Tunc demum victimas immolant, præcātes vt suum donum deus prosperum faciat his quibus dederit: Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contráque venena omnia esse remedio: tanta gentium in rebus friuolis plerunq; religio est. Hæc Plinius de mysteriis magicæ gallicæ, vbi nominis licet gallici à Druyo nempe, vt dictum est, deriuati, tamen etymologiam græcam reperit, sicut in omnibus linguis vocabula sexcēta reperias, quæ similitudine aliqua videri poßint ex alia formari: vbi etiam mathematica illa mensium, annorum, sæculorum chronologia satis demōstrat Gallorum Mathematicas disciplinas græcis postea descriptis non vsquequaque similes fuisse. Cætera Plinij exempla persequamur. Idem igitur rursus libri vicesimi quarti capite vndecimo, Similis herbę huic

Sabinæ

Sabinæ eſt ſelago appellata, Legitur ſine ferro dextrâ manu per tunicam, quâ ſiniſtrâ exuitur, velut à furante, candidâ veſte veſtito, puréque lotis nudis pedib⁹, ſacro facto priùs quàm legatur, pane vinóque: Præfertur in mappa noua: Hanc contra omnem perniciem habēdam prodidere Druydæ Gallorum, & cōtra omnia oculorum vitia fumum eius prodeſſe. Iidem ſamolum herbam nominauere, naſcentem in humidis: Et hanc ſiniſtra manu legi à ieiunis, contra morbos ſuum boúmque nec reſpicere legentem, nec alibi quàm in canali deponere, ibíque conterere poturis. Hîc Gallorum Druydem Plinio magica alia eſt, cui'apud eundem conſimilis eſt tertia libri viceſimi capite tertio, Præterea eſt (ait) ouorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum græcis. Angues innumeri æſtate conuoluti, ſaliuis faucium corporúmque ſpumis, artifici complexu'glomerantur, anguinum appellatur. Druydæ ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagóque oportere intercipi ne tellurem attingat, profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi donec arceantur amnis alicuius interuētu: Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet vel auro cinctum: At, vt eſt magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certâ Lunâ capiendum cenſent, tanquam congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrij. Vidi equidem id ouū mali orbiculati modici ma-

gnitudine, crusta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druydis. Ad victorias litium, ac regũ aditus maximè laudatur: tantæ vanitatis, vt habentem id in lite in sinu equitem Romanum è Vocontiis, à diuo Claudio principe interemptum non ob aliud sciam. Hic tamen complexus anguium & efferatorum cõcordia, caussa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie anguium fecerint: Neque enim cristatos esse in caduceo mos est. Sic gallicę magicæ anguinum ouum Plinius notauit, ideóque Gallum illum è Vocontiis equitem ab imperatore Rom. hanc magiam scilicet formidante interemptum: Denique Romani ad totam Druydum disciplinam euertendum has magicarum superstitionum caussas accepere. At impietas, at superstitio, at Magica, at vitia denique, virtutibus saluis radicitùs euelli poterant. Vtinam Romani Gallos eodem loco numeróque atque Græcos habuissent: Imperium Græcis ereptum est, at literæ & artes permissæ ac relictæ sunt: coactus est Græcus latino sermone ius audire, at Grammaticam, Rhetoricam, Philosophiam, Græcè semper didicit, semper docuit: Quænam igitur inuidia fuit, nõ dico Gallos iudices è Galliæ iudiciis, sed Gallos professores, imò Gallas disciplinas & artes è Galliæ scholis eiicere?

——*An nimium vobis tum Galla propago*

Visa

Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent?

Sed nimium sæpe ad hãc patriæ palmam sensus animósque conuertimus, eámque impotenti gallici nominis inuidiâ nobis ereptã lugemus. Quare agite, ad cætera pergamus: è quatuor operis propositi partib⁹ tres adhuc expeditæ sint, è disciplinæ prudentia totáque veri cognitione ac perspiciẽtia, quarta superest è iustitia reliquorum morum principe ac magistra. Hîc igitur quærendum nobis est, qui principatus veteris Galliæ, quod populi magisteriũ, quę politia fuerit: id enim est platonicum temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ vinculum, quo suum cuique tribuitur, nec quicquam vsurpatur alienum. Fuit verò Galliæ, saltem Comatæ, cùm eò Cæsar accessit, Respub. genere ipso timocratica, romanæ libertatis multis partibus simillima, vt singula subtiliùs animaduertenti planum deinceps erit. Ergo Cæsarem in his præcipuè moribus attẽdamus, In omni Gallia (ait sexto libro) eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera duo sunt, alterum est Druydum, alterum equitum: Nam plebs penè seruorum habetur loco, quæ per se nil audet, nulli adhibetur consilio. Hãc partitionem Cæsar instituit, tametsi de plebe nequaquam id omnino verum est, vt suis locis intelligetur: Sed Cæsaris partitionem persequamur, Druydibus vnus præest, qui summam inter eos habet potestatem: hoc mor-

tuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut si sunt plures pares, suffragio Druydum allegitur, nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hîc Cæsar, magistratus genera duo proponit, alterum diuinis, alterum humanis & ciuilibus rebus præpositum: Druydum vnum tanquam Pontificem summum instituit, eiúsque creationem dignitate, suffragiis, armis etiam definit: nec multũ aberat Romani pontificatus institutio, nisi quòd Romæ annuus erat, hîc videtur perpetuus fuisse. Druydas verò tota Gallia & omnibus Galliæ vrbibus ac vicis fuisse, ipsorum munera manifestè demonstrabũt. Druydes siquidem tribus Reipub. maximis partibus præfuerũt, professionibus artium, iudiciis controuersiarum, cæremoniis sacrificiorum. Ad hos (ait Cæsar) magnus adolescentium numerus disciplinæ caussâ concurrit, magnum ibi numerum versuum ediscere dicũtur: Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque verò minerualia professioni defuerunt. Druydes à bello abesse consueuerũt (ait Cæsar) neque tributa vnà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem omniúmque rerum habent immunitatem: tantis excitati præmiis & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus propinquísq; mittuntur. At per Deum immortalem, Cæsaris hunc locũ studiosè ac diligenter attendamus: Quid enim excellentius

lentius eo, quídue magnificentius esse potést,
quàm quòd gentis vniuersæ primarij viri, quòd
Reipub. Rectores princípésque summi, discipli-
næ professôres erāt? Hîc fortasse aliquis nos de-
lyrare sentiet, qui grauissimos ciuitatis viros in
schòlastico puerilíq; ludo occupare studeamus.
Verumenimuerò talibus viris artium magisteria
committi mandaríque Plato voluit, quòd præ-
stantium in Repub. gerenda hominū, tanquam
seminarium hoc esset, in quo plantæ stirpésque
tantò nobiliores essent futuræ, quantò sapien-
tiores honoratioréśque cultores præficerentur.
Plinianū ingenium cùm multis sæpe locis, tum
illo præcipuè loco admiratus sum, cùm antiquis
vrbis Romæ moribus, annonæ vilitatem quan-
dam incredibilem scribit fuisse. Quænam ergo,
ait, tantæ vbertatis caussa erat? ipsorum tum ma-
nibus imperatorum colebantur agri (vt fas est
credere) gaudēte terra vomere laureato & triū-
phali aratore: siue illi eâdem curâ semina tracta-
bant quâ bella, eadémque diligētiâ arua dispo-
nebant quâ castra, siue honestis manibus om-
nia lętiùs proueniunt, quoniā & curiosiùs fiunt.
At nunc eadem illa vincti pedes, damnantę ma-
nus, inscripti vultus exercent: non tamen surdæ
tellure, quæ parens appellatur, colíque dicitur &
ipsa, honore hinc assumpto, vt nunc inuita ea
& indignè ferente credatur id fieri. Sed nos mi-
ramur ergastulorum non eadem emolumenta

esse quæ fuerunt imperatorum. Hæc Plinius. Quid igitur? an credimus à nobis indecentiùs de disciplinæ, quàm ab illo de terræ cultu prædicari? Sic magna disciplinæ gallicæ fæcunditas fuit, cùm apud Druydas nostros auditoria musarum, regum palatia, pulpita docentium, solia principum, numerus discentium, cœtus comitum erant: Pallade videlicet læta regali magisterio, eodémque rerum publicarum ac disciplinarum rectore ac moderatore, siue illi eodem studio disciplinas explicabant, quâ Respub. regebant, eadémque prudentiâ leges artium, quâ ciuitatum sanctiones instituebant, siue honoratis laboribus omnia pleniùs & vberiùs prouenιũt, quia studiosiùs & accuratiùs fiũt. Ergo tãtis præmiis excitati, & sua sponte multi in disciplinam conueniebant & à parentibus propinquísque mittebantur. Hinc nimirum Luciano Gallicus ille & Ogmius Hercules extitit non solùm exuuio leonis & clauâ velut armatus, sed decrepitus, caluus, canus, rugosus, ater, magnúmque hominum numerum auribus vinctorum cathenis aureis trahens: Herculis autem ipsius linguã perterebratam esse; ab eáque cathenulas illas religatas ita pẽdêre, vt vincti alacres ac læti, trahentem sequerentur, ipséque vicissim in eos ore oculísque intuens, blandè comitérque arrideret: Ista nempe Bardorũ fuit eloquentia, ista Saronidarum Druydũmque sapientia,

quæ ſemel aſpecta tam mirabiles amores excitaret ſui: ille diſcipulorum numerus illis in diſciplinam ſeſe tradentium: illæ tam nobilium rerũ ingenuæ artes ac diſciplinæ, cathenas aureas efficiebant. ſicque diſcipuli ab ore doctoris pendebãt, tamquã ſermone doctrináque inde profluentẽ obſtricti atque alligati. Ergo quia profeſſores excellebant, ideò diſciplinæ floruerunt: At vbi ſublatis imperio Romano doctrinæ præmiis & honoribus profeſſio diſciplinæ velut illiberalis opificij miniſterium & ſeruitium haberi cæptum eſt, relangueſcere honeſta ſtudia neceſſe fuit, nimiúmque illud multis experimẽtis dictum oratoris, eſt approbatum, Honos alit artes, omnéſque incenduntur ad ſtudia, gloriâ, iacéntque ea ſemper quę apud quóſque improbantur: Ergo Romanis, interitus gallicæ diſciplinæ debeatur, à quibus honor ille profeſſionis vnà cum libertate Druydibus ereptus eſt. Itaque Mela (qui ſub Claudio dicitur floruiſſe) non iam illuſtres iſtas Druydum ſcholas, ſed clandeſtinas in ſpecu & abditis ſaltibus efficit, Druydúmque diſciplina non modò ſuis honoribus ſpoliata erat, ſed periculi metu, in ſpecus & ſaltus abdebatur. Lucanus, idem quod Mela de Druydibus videtur dicere,

—Nemora alta remotis,
Incolitis lucis.—

Sic (vt eſt libro quinto) Galli vnde belli initiũ

fieret, explorabant, nocturnáque in locis desertis concilia habebant: Sic (vt est septimo libro) indictis inter se principes Galliç conciliis sylue-stris ac remoto loco de sua seruitute conquere-bãtur. Nec tamẽ ex ea Melæ vel Lucani vel Cæsaris authoritate concludamus Druydũ gymnasia aut equitum comitia in syluis fuisse: Id enim seruitutis, non eruditionis, non deliberationis indicium est. Sed tamen illa veterum Druydum munera persequamur: Nec enim Druydes illa professionis honestæ præmia solùm capiunt, sed magno præterea apud omnes Gallos (ait Cæsar) in honore sunt: Nam ferè de omnibus controuersiis publicis priuatísque constituũt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, iidem decernunt, præmia pœnásque constituunt. Addit hîc etiam Strabo magicæ superstitionis illius nescio quid, quod è capitalium caussarum multitudine, annonæ abundantia ab his æstimaretur. Sed Cæsaris cætera audiamus, Si quis (ait) aut priuatus aut populus, eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt, hæc pœna apud eos est grauissima: Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum ac sceleratorum habentur: ab iis omnes discedunt, aditum sermonémque defugiũt, ne quid ex contagione, incommodi accipiant, neque eis petentibus, ius redditur neque honos yllus communicatur.

Quid

Qu id Germanorũ iudicia? quid pænę ac supplicia cuiusmodi fuerũt? In publicis cõsultationibus silentium (ait Tacitus) per sacerdotes, quibus tum & coërcendi ius est, imperatur: Cæterùm neque animaduertere, neq; vincire, neque verberare quidem nisi sacerdotibus permissum: non qu asi in pœnam, nec ducis iussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt, effigiésque & signa quędam detracta lucis in prælium ferunt. Distinctio pœnarum ex delicto, proditores & transfugas arboribus suspendunt, ignauos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, iniecta insuper crate mergunt. Diuersitas supplicij illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorúmque numero conuicti multantur: pars multæ, regi vel ciuitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis ei⁹ exoluitur. Ad Gallorum Druydas redeo, quorum iudiciis etiam locus ac tempus à Cæsare proponitur, Hi (ait) certo tempore anni, in finibus Carnutum, quę regio totius Gallię media habetur, cõsidunt in loco cõsecrato: huc omnes vndique qui controuersias habent, conueniũt, eorúmque decretis iudiciisque parẽt. Cæsar anni tempus non definit, locum in finibus Carnutum tanquam Galliæ centrum definit, quò vndique ex vniuersæ Galliæ velut orbe, Druydes conueniant. Carnu-

tum verò ciuitas olim longè latiùs patuit, videtúrque diœcesim non solùm Carnutensem, sed Aurelianensem habuisse: Illic enim ante Cæsaris aduentum regnum erat, & à Cæsare postea Tasgetio Carnuti restitutum (vt est libro quinto) Denique regnum Aurelianense, quod multis postea sæculis Franci fecere, videtur id Carnutum regnum fuisse, presertim cùm Genabum Carnutum oppidum fuerit. Genabum verò in Ligeri multis passuum millibus supra Aureliam Cæsaris ætate fuit, éique Agēdico Gergobinam contendenti in itinere obiectum. Sed ad illud Galliæ tanquā centrum certo anni tempore iudices controuersiarum, Druydes conueniebant vndique (ait Cæsar) Ergo (inquam) vbique tota Gallia in omnibus vrbibus vicísque Druydes erant, controuersiísque rerum & religionis cæremoniis, omnibus Gallię locis ac regionibus prȩerant, earúmque rerū curæ, solis Druydibus creditæ: Druydes igitur per vniuersam Galliam, vt hodie sacerdotes, distributi erant, sed eorū principes, certo anni tempore controuersias ciuium suorum deferebant ad commune Galliæ concilium, cui nempe summus ille Druydum Pōtifex præerat. Talis quondā in libera Græcia solennis ille Amphyctionum conuentus Delphis fuit (vt Pausanias in Phocicis ait) mediâ videlicet Græciæ regione, vt Druydes Gallorum, Amphyctionibus Græcorum, Carnutúmque cōsecratus lo-

cus,

cus, Delphorũ clarissimo pythiis oraculis templo respondeat: Si Cæsar Galliæ Delphos in Carnutum finibus consecratúmq; locum illum nominatim appellasset, res paulò esset illustrior. Hîc magna Druydum potentia planè regia non solùm in priuatum quemque, sed in populum vniuersum demonstratur. Magni nominis erat disciplinarum professio, insignis auctoritatis iudicatus, augustæ verò maiestatis sacrificiorum propitiatio ac diuinatio. De magistratibus Gallicæ Reipub. primũ habemus, secundum principum genus secundúsque Reipub. gradus erat in equitibus, vnde belli gerẽdi principes à populo pro ipsius arbitrio commodóque deligebantur, ac si contra facerent abdicabantur. Vnde (inquies) id probari potest? è Cæsare (inquã): sic enim sexto libro loquitur, In Gallia (ait) non solùm in omnibus ciuitatibus atque in omnibus pagis partibúsq;, sed penè etiam in singulis domibus, factiones sunt, earúmque factionũ principes sunt, qui summam authoritatem eorũ iudicio habere existimãtur, quorum ad arbitrium iudiciúmque summa omniũ rerum cõsiliorúmque redeat: Id eius rei caussâ antiquitùs institutũ videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilij egeret: Suos enim quisq; opprimi & circumueniri non patitur, neque aliter si faciat, vllam inter suos habet authoritatẽ. hæc eadem ratio est in summa totius Galliæ. Hæc Cæsar, vnde

intelligitur Reipubl. status timocraticus ille, quem Plato quémque Aristoteles tantopere cõprobarunt, quémque libera Grecia Italiáque cupidisimè tenuerũt, in quo iustæ politiæ species omnes comprehendũtur: erat enim regiũ quiddam in annuo, aut lõgioris tẽporis legitimo magistratu: erat Aristocratia in Senatu, & denique timocratia in summa populi authoritate, vnde & Senatores & magistratꝰ existerẽt. Quare Cæsaris tantùm de maiorum nostrorũ Repu. testimoniũ iterũ iterúmque subducamus ac perpendamus, Tanta (ait Cæsar) Galliæ libertas fuit, vt in singulis ciuitatibus, singulis etiã pagis ac penè etiam domibus suæ factiones essent, tam libera nempe suffragiorũ ac studiorum cuiq; potestas erat, vt vel infimis liberè ac sine vllo metu sententiæ dicendæ suffragiique ferendi facultas esset. Electores igitur magistratuum gallicorum tales erant: Atque hinc planè intelligimus etiam plebis in Repub. permagnam authoritatem fuisse, cùm populi suffragiis magistratus instituantur. Persona eligendi magistratus qualis erat? qui summã authoritatem habere existimaretur, ideóque ad eius arbitriũ summa omnium rerum ac consiliorũ rediret. Quamobrem verò in magistratu authoritas tantopere quærebatur? Id (respõdet Cæsar) eius rei caussã antiquitùs institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilij egeret. Suos enim opprimi ac circumue-

cumueniri non patitur: Hic finis igitur est magistratus, hæc caussa quamobrem populus diceret, hunc volo, quia sua virtute atque authoritate me ab iniuria defendet, hunc nolo, quia improbus, quia ignauus: At si bonus ille princeps qui initio visus esset aliquando dissimilis videretur, publicæque salutis immemor, suam voluptatem aut vtilitatem priuatam publicæ præponeret, aliterque quàm populi iura ferrent se gereret, abdicabatur, nec vllam (ait Cęsar) inter suos authoritatē habebat: ac ne quis crederet vnius cuiusdam ciuitatis id fuisse, Hæc eadem ratio (ait Cæsar) est in summa totius Galliæ. Ergo hîc etiā politica plebis authoritas cernitur, cùm à populo magistratus nō instituūtur tantùm, sed abdicantur. Singularis autē an multiplex principatus hic esset, quōue tempore definitus hoc loco Cæsar nihil ait: Strabo autem libro quarto vtrumque definit, Aristocraticę (ait) erant pleræque politiæ, vnum principem quotannis antiquitùs eligebant, sicut & ad bellum dux vnus à populo creabatur. Hæc Strabo, sed exemplis tanta res illustranda est. Vnam in Gallia Massiliensium Rempub. Cicero tantùm extulit, vt audiente populo Romano diceret in defensione Fonteij, ciuitatis illius disciplinam atque grauitatem non solùm Græciæ, sed penè cunctis gentibus anteponendam: Eius autem (ait Strabo) sexcenti erant Senatores, qui Timu-

chi velut honorati dicebantur, quíque totam vitam hoc honore potiebantur, è quo numero quindecim principes quotidianarum litium disceptatores legebantur. Atque ij nimirum sunt sexcenti Massiliésium & quindecim primi quos primo belli ciuilis appellat Cæsar. Sed Strabonem persequor, Ex iis quindecim optabant, tres demũ in quibus authoritatis inesset plurimũm. Hanc Massiliensium Rempub. Strabo ita descripsit: quam tamen pro gallica non profero, non solùm quia græca quàm gallica haberi maluit, sed quia ex illis Timuchis nemo crearetur qui liberos nõ haberet quíue à tertia vsque progenie ac stirpe ciuis nõ esset (vt ait Strabo) Qua de caussa, Aristoteles Massiliensium Rempub. non Aristocratiam, sed Oligarchiam optimo iure appellat: Oligarchicum enim fuit genere, non virtute, Reipub. principes fieri: Hanc, inquam, Rempub. idcirco in exemplum gallicæ Reipub. non profero, vera & veræ Galliæ exempla proferre malo primùm totius Galliæ, tum gẽtium, postremò etiam ciuitatum singularum: Cõmunis exempli testis erit mihi Cæsaris liber septimus, vbi pro dignitatis atque potentiæ ordine tanquam classibus in censu Gallia tota describitur, sed pro septimo belli gallici anno, quo pleræque ciuitates afflictæ, iam multò minore censu cẽsentur: Primum communi cõsilio Vercingetorix dux eligitur: (sic enim Cæsar) Cùm

Hedui

Hedui contéderent, vt ipsis summa imperij traderetur, & res in controuersiam esset deducta, Totius Galliæ (ait) concilium Bibracte indicitur: Eodem conueniunt vndique frequentes multitudines, suffragiis res permittitur: ad vnũ omnes Vercingetorigem probãt imperatorem. Ab hoc concilio Cæsar ait tantùm Rhemos, Lingones, Treuiros abfuisse, Aquitanorum tamen non meminit: Deinde cùm ad Alexiam Vercingetorix obsideretur, Galli concilio principum indicto, statuunt certum militum numerum cuique ciuitati imperandum: imperantur igitur Heduis atque eorum clientibus Secusianis, Ambarris, Aulercis, Brannouicibus, Brannoniis hominum millia triginta quinque: parẽ numerum Aruernis, adiunctis Heleuteris, Cadurcis, Gaballis, Vellauniis, qui sub imperio Aruernorum esse cõsueuerunt: Senonibus, Sequanis, Biturigibus, Santonibus, Ruthenis, Carnutibus duodena millia: Bellouacis decem, totidem Lemouicibus, octona Pictonibus & Turonibus & Parisiis & Heluetiis: Suessionibus, Ambianis, Mediomatricibus, Petrocoriis, Neruiis, Morinis, Nitiobrigibus quina millia: Aulercis Cænomanis totidem, Atrebatibus quatuor, Bellocassis Lexouiis, Aulercis Eburonibus terna, Rauracis & Boiis bina, vniuersis ciuitatibus, quæ Oceanum attingunt quæque eorum consuetudine Armoricæ appellantur, sex.

Hîc totius Galliæ publicum cõcilium, hîc communem amphyctionatum videmus, communíque concilio descriptum singulis ciuitatibus cẽsum: Harum tamen copiarum non dux vnus, sed quatuor instituuntur, & iis consiliarij ciuitatum adduntur. Comio Atrebati (ait Cæsar ibidẽ) Viridomaro & Eporedorigi Heduis, Vergasillauno Aruerno consobrino Vercingetorigis, summa imperij traditur: His delecti ex ciuitatibus attribuuntur, quorum consilio bellum administraretur. Verumenimuerò in generibus ipsorum Gallorum Celtis, Belgis, Aquitanis eũdem Reipub. statum expendamus. Gallico bello nusquam accidit, vt Celtarum talis amphyctionatus intelligeretur: maxima enim pars Celtarum, Romanis amicitia, fœdere, aut nescio quo alio studio sociata erat: Venetico tamen bello coniuratio Armoricarum ciuitatum facta est, Venetorum, Osissinorum, Nannetum, Diablintrum, Curiosolitum, Vnellorum, Lexobiorum Eburonicum. Celeriter missis legatis (ait Cęsar libro tertio) per suos principes inter se cõiurant nihil nisi communi concilio acturos, eũdémque omnis fortunæ exitum esse laturos, reliquásque ciuitates solicitant, vt in ea libertate quam à maioribus acceperant permanere, quàm Romanorum seruitutem perferre malint. Dux tamen totius belli summus à Cæsare nusquam nominatur: At publico Belgarum concilio, quo

contra Cæsarem publicè pro Galliæ totius libertate coniuratum est, ad Suessionum regem Galbam propter iustitiam prudentiámque, summa totius belli omnium voluntate delata est, atque ad ipsum bellum de suo numero contulerunt armatorum millia Bellouaci sexaginta, Suessiones quinquaginta, totidem Neruij, Atrebates quindecim, Ambiani decem, Morini vigintiquinque, Menapij septem, Caleti decem, Velocasses & Veromandui totidem, Aduatici nouendecim, Condrusi, Eburones, Ceresi, Pæmani, qui vno nomine Germani appellabātur, quadraginta. Hîc, inquam, commune concilium perspicitur, eóque discretus singularum ciuitatum census. Aquitanorum etiam communis illa coniuratio fuit, de qua libro tertio ita scribitur, Tum Aquitani Legatos quoquouersum mittere, coniurare, obsides inter se dare, copias parare cœperunt, è Cantabris finitimis auxilia accersuntur: duces verò hi deligūtur qui vnà cùm Q. Sertorio omnes annos fuerant summámque scientiam rei militaris habere existimabantur. His igitur locis iam planum est politiam illam à Cæsare propositā nō solùm communem vniuersæ Galliæ, sed gentium etiam generatim præcipuam fuisse. Verùm age, gentium etiam ipsarum nationibus & ciuitatibus speciatim hic idem Reipub. status illustretur, ac de Celtis primùm quorum fortissimi fuere Heluetij. Quid

igitur hæc ciuitas, qualem Reipub. administrationem habuit? Ciuitas Heluetiorũ intra Rhenum, Rhodanum, Iuram montem triquetrâ figurâ comprehendebatur, oppidáque numero ad duodecim, vicos quadringentos habuit: In pagos verò non Martis tantùm, sed iuris & iustitiæ, quatuor diuisa: duo nominantur à Cæsare Tigurinus & Verbigenus: Hi pagi tanquam Senatus erãt, penes quos imperij summa erat: Hos etiam conuenire rerum grauiorum caussâ ad commune quoddam concilium & principem deligere solitos, totius ciuitatis cõiuratio de oppidis vicísque suis omnibus incendendis, finibus relinquendis, Galliæ imperio occupando, atque ad eas res conficiendas delectus longè apud eos nobilissimus & ditissimus Orgetorix ostendunt, studiúmque timocraticum imprimis illud eius ciuitatis factum declarauit. Regni cupiditate inductus Orgetorix coniurationem illam fecerat: Verùm attende (vbi regni cupiditas illa detecta est) quid consecutum sit, Ea res (ait Cæsar) vt est Heluetiis per indicium enuntiata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis caussam dicere coëgerunt: Damnatum pœnam sequi oportebat, vt igni cremaretur: Die constituta caussæ dictionis Orgetorix ad iudicium, omnem suam familiam ad hominum millia decem vndique coëgit, & omnes clientes obæratósque suos, quorum magnum numerum habebat, eôdem

dem conduxit, per eos, ne caussam diceret, se eripuit: cùm ciuitas ob eam rem incitata, armis ius suum exequi conaretur, multitudinémque hominum ex agris magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est, neque abest suspicio, vt Heluetij arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciuerit. Regna (ait Cæsar) vulgò in Gallia à potentioribus, atque iis qui ad conducendos homines facultates haberent, vulgò comparabantur: At cuiusmodi regna fuerint, Orgetorigis exemplo perspicitur & aliis deinceps exemplis perspicietur. Ergo Heluetiorum Respub. eiusmodi tum fuit, pagis diuisa, vt hodiéque Suitensium, Heluetiorum fines occupantium: De hinc Heduorum & Aruernorum amplissimæ ciuitates erãt: Rempub. igitur istorum consideremus, imprimis Heduorum, qui Cæsare gallicum bellum administrante, clarissimi Gallorum fuere: hanc, inquam, Remp. accuratiùs perpendamus quemadmodum triplici iustæ ac laudatæ gubernationis genere temperata fuerit. Etenim fuit Heduorum Vergobretus regia potestate per sacerdotes certo loco certóque tempore è diuersis familiis quotannis creatus, cui extra fines excedere non liceret: sic enim primo libro Cæsar de Heduis, Conuocatis eorum principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Diuitiaco & Lisco, qui summo magistratui præerat, quem Vergobretum Hedui apppellant, qui

creatur annuus, & vitæ necíſque habet poteſtatem. Cætera ſunt libro ſeptimo, vbi & Senatus & populus Heduus propter hunc magiſtratum ſeditione commotus explicatur, ad eámque ſeditionem ſedandum Cæſar euocatus eſt: Sic verò Cæſar loquitur, Legati ad Cæſarem principes Heduorum veniunt oratum, vt maximè neceſſario tempore ciuitati ſubueniat, ſummo in periculo eſſe rem, quod cùm ſingularis magiſtratus antiquitùs creari atque regiam poteſtatem annum obtinere conſueſſet, duo magiſtratum gerant, & ſe vterque eorum legibus creatum eſſe dicat, horum eſſe alterum Conuictolitanem florentem & illuſtrem adoleſcentem, alterum Cotũ antiquiſsimâ familiâ natum, atque ipſum hominem ſummæ potentiæ & cognationis, cuius frater Valetiacus proximo anno eũdem magiſtratum geſſerit, ciuitatem omnem eſſe in armis, diuiſum Senatum, diuiſum populum, ſuas cuiuſque eorum clientelas, quod ſi diutiùs alatur controuerſia, fore vti pars cum parte ciuitatis confligat, id ne accidat, poſitum in eius diligẽtia atq; authoritate. Cæſar & ſi à bello atq; ab hoſte diſcedere detrimẽtoſum eſſe exiſtimabat: tamen non ignorás quãta ex diſſenſionibus incõmoda oriri conſueſſent, ne tanta & tam coniuncta populo Romano ciuitas, quã ipſe ſemper aluiſſet omnibúſque rebus ornaſſet, ad vim atq; arma deſcẽderet, atq; ea pars quæ minùs ſibi cõfideret,

ſideret, auxilia à Vercingetorige rege accerſeret, huic rei præuertendum exiſtimauit, & quòd legibus Heduorum, iis qui ſummum magiſtratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret, ne quid de iure aut de legibus eorum diminuiſſe videretur, ipſe in Heduos proficiſci ſtatuit, ſenatumque omnem, & quos inter controuerſia eſſet, ad ſe euocauit. Cùm propè omnis ciuitas eò conueniſſet, doceretúrque paucis clàm conuocatis alio loco, alio tempore atque oportuerit fratrem à fratre renunciatum: cùm leges, duos ex vna familia viuo vtroque, non ſolùm magiſtratus creari vetarent, ſed etiam in Senatu eſſe prohiberent, Cottum imperium deponere coëgit, Conuictolitanem, qui per ſacerdotes more ciuitatis, intermiſſis magiſtratibus eſſet creatus, poteſtatem obtinere iuſſit. Hæc Cæſar de Heduorum ſeditione, vnde planè perſpicimus & regiam in Vergobreto dignitatem, & ariſtocraticam in Senatu authoritatem, & timocraticam denique totius populi poteſtatẽ. Quãta verò & quàm nobilis ea ciuitas fuerit, tot oppida, clientelæ Heduorum in Cæſaris commentariis abunde oſtentant: ciuitatis oppida nominantur à Cæſare Bibracte, quò Cæſar primo libro tanquam in principem Heduæ nationis vrbem frumenti ab Heduis impetrandi cauſsâ cõtendere ſtatuerat: quò (vt eſt ſeptimo libro) cùm Litauicus receptus eſſet, quia oppidũ apud

Heduos maximæ authoritatis erat, Conuictolitanes magistratus magnáque pars Senatus ad eum conuenit: quò Galliæ obsides, interfectis Nouioduni Cæsaris custodibus deducti sunt, quò totius Galliæ concilium aduersus Cæsarem indictum est, quóque Cæsar tandem receptis Heduis hyematum secessit. Hæc, inquam, vrbs, Heduorum prima fuit, quæque (vt Heduorum orator ait in panegyrico ad Constantinum) Iulia, Polia, Florentia, Flauia postea dicta est. Septimo item libro Cabillonum & Matisco Heduorum ad Ararim, item Nouiodunum ad ripas Ligeris nominantur: Clientelæ autem illæ (opinor) stipendiariæ quæ dictæ sunt: honorariæ verò longè in Gallia maximæ: Bituriges enim apud quos Ambigati quondam & veteres Gallorum reges fuere, Senones, ideóque & Parisij (qui fuerant in clientela Senonum) & Bellouaci, eorum clientes appellantur à Cæsare. Ergo summam ciuitas Heduorum totâ Galliâ authoritatem (vt est sexto libro) antiquitùs habebat, imò (vt est primo libro) omni tempore totius Galliæ principatum tenebat etiam priusquam populi Romani amicitiam appetiuisset, deinceps verò vt Hedui Romanorum consanguinei & fratres appellati sunt, quæ Romana senatusconsulta, & quoties & quàm honorifica in eos facta sunt? Ergo talis ac tanta Galliæ Celticæ ciuitas timocraticam illam Rempub. habuit,

buit, & Plinius non in stipendiariis, sed in fœderatis ciuitatibus enumerat. Aruernorum autem Respub. prima quondam Galliæ Respub. fuit: Fuerunt enim quondam Galliæ totius (vt est primo libro) factiones duę, alterius principatum tenuere Hedui, alterius Aruerni: Et quidē Aruernorum potentiorem factionem fuisse ostendit Strabo libro quarto, cùm eorum principatum ad Narbonensium Massiliensiúmque fines, Pyrenęos montes, Oceanum, Rhenum extendit: ostendunt etiam Gallorum Bituito Aruerno duce cruenta duo prælia, de quibus ibidem Strabo & Liuius libro sexagesimo primo: alterum contra Domitium ad Sulgæ & Rhodani, alterum contra Fabium ad Tisaræ & Rhodani confluentem commissa, vnde etiam hæc ipsa Reipub. forma, de qua loquimur intelligi potest: Victos enim Gallos, aut certè Romanæ prouinciæ finibus repulsos, Senatus Romanus (vt est primo libro) liberos esse & suis legibus vti voluit: quinetiā quò Gallia liberior esset, Bituitum ipsum Aruernorum regem, vt Liuius appellat, libro sexagesimo primo, cùm Romam satisfactionis causâ venisset, Albæ custodiendum censuit, decreuítque vt Congentiatus eius filius comprehensus Romam mitteretur: Postea Celtilus Vercingetorigis pater, licet principatum totius Galliæ obtinuisset, bello quippe aliquo: attamē ob eam caussam quod regnum ap-

petebat, vt eſt libro ſeptimo, à ciuitate interfe-ctus eſt: Vercingetorix autem ipſe ſuorum quorundam factione, Rex Aruernorum ſalutatus eſt, & videtur eodem libro à Gallis omnibus, Rex appellari: verùm ab iiſdem proditionis inſimulatur, & ad eos tanquam ſuperioris authoritatis iudices cauſſam dicit: nec denique filio regni cupiditas fortunatior quàm patri fuit. Ita regibus exactis Aruernorum ciuitas libera ad Cæſaris tempora permanſit: & Plinius adhuc ætate ſua inter liberas Celtarum ciuitates conſtituit: neque tum clientelas, Heduorum clientelis, vt in illo militari cenſu iam patuit, minores vel inferiores habuit: Aruerna itaque ciuitas Heduæ ciuitatis quondam patrona, & poſteaquam Hedui Romanorũ fratres & conſanguinei, quàm Aruernorum eſſe maluerunt, æmula nouiſsimóque Cæſaris aduentu fractis per Germanos Heduis item opibus præcipua, ac tandem denique cùm Cæſaris beneficio Hedui non ſolùm in priſtinum ſtatum rediiſſent, ſed omnium temporum dignitatem & gratiam anteceſſiſſe viderentur, cenſu par & æqua. Gratiâ verò erga vniuerſam Galliam virtutiſque opinione ſuperior vt Vercingetorigis creatio demonſtrauit. Quapropter in his duabus Gallię Celticę ciuitatibus propoſita illa Reipub. libertas agnoſcitur: In reliquis autem illis minoris cenſus veluti claſſibus, nullius regis, aut ſingularis principis, ſed

populi

populi tantùm & ciuitatis nomen appellatur. Senonum ciuitas imprimis firma & magnæ inter Celtas authoritatis fuit: de permultis oppida duo à Cæsare nominantur Agendicum & Vellaunodunum. Cæsar apud eos Cauarinum regem factione aliqua fecerat: nempe quòd Cauarini frater Moritasgus & eius maiores regnũ idem obtinuerant: Hanc enim Cæsar constituendi regni caussam prætexuit: Senones tamen Cęsare ipso licet præsente & Galliam fulminante: attamen Cauarinum interficere publico cocilio conati, cùm ille præsensisset & profugisset, vsque ad fines insecuti, regno domóque expulerunt. Parisiorum Respubica eadem fuit, cùm Parisiorum prælium pro libertate patriæ communi variarum ciuitatum concilio, susceptum, ducémque belli Camulogenum propter scientiam rei militaris electum septimo commentario videamus. Carnutum ciuitas erat ampla (vt iam patuit) cæsariani regni factio consimilis hîc etiam fuit. Erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius, cuius maiores in sua ciuitate regnum obtinuerãt: Huic Cæsar, vt ipse ait, pro eius virtute atque in se beneuolentia, quòd in omnibus bellis singulari eius opera fuerat vsus, maiorum locum restituerat: Tertium hunc iam annum regnantem, inimici palàm, multis ex ciuitate authoribus interfecerunt: hæ nempe ciuitates Brutos suos habebant. Sic à Cæsare nomi-

natur Senatus Eburonicum, Lexobiorum, Venetorum: Teutomatus etiam rex Nitiobrigum eodem tempore fuit: sed & publico Galliæ concilio contra Cæsarem paruit. Atque de Celticarum ciuitatum Repub. hactenus.

Quid Belgarum ciuitates, quonam imperij genere separatim sunt administratæ? Rhemorum fines latissimi fuere, Sequanis, Mediomatricibus, Treuiris, Veromanduis, Suessionibus cõfines, duo tamen tãtùm de tam multis eorum oppida nominantur Durocotorum, & Bibrax: Durocotorum Galliæ concilium indicitur libro sexto: Bibrax oppugnatur secundo. Sed Rhemi Cæsare Gallias administrante, post Heduos secundum in Gallia locum dignitatis obtinebant: Horum Senatus à Cęsare nominatur & ciuitatis princeps & præfectus, vt Vertiscus ille de quo priùs dictum est. Apud Suessiones ætate memoriáque Cæsaris, rex Diuitiacus totius Galliæ potentissimus fuit, qui cùm magnæ partis harum regionum, tum etiam Britanniæ imperium obtinuit: Deinde Galba (de quo dictum est) successit: Verùm cuiusmodi regnum hoc fuerit hinc intelligi potest, quòd Suessiones Rhemorum nempe fratres consanguineíque eodem iure, iisdem legibus vterentur, vnum imperium vnúmque magistratum cum illis haberent: Hæc enim Cæsaris verba sunt, vnde etiam vnus ille singularis ciuitatum magistratus cogno-

cognoſcitur: Sed tamen Sueſsionum quamuis fratrum latiſsimi ſeparatim feraciſsimíque agri fuere, oppida duodecim, quorum vnicum à Cæſare nominatim appellatur, id eſt Nouiodunum, quod poſt Belgarum diſceſſum ex itinere Cæſar oppugnare conatus, propter latitudinem foſſæ muríque altitudinem paucis licet defendentibus expugnare non potuit.

Quid Bellouaci? qua Repub. vſi ſunt? hi plurimùm inter Belgas, & virtute, & authoritate & hominum numero valebant: à finibus enim Sueſsionum ad Caletos, qui hodiéque Normani ſunt eiuſdem nominis ad oſtia Sequanæ, pertinebant. Bellouacorum oppidum Bratuſpantium à Cæſare nominatur: Sed tamen quid Bellouaci, qua Reipublicæ formâ ciuitatem rexere? principes ſuos deligebant vt inter cæteros Corbeum illum, qui licet ciuium ſuorum exercitu deleto, nulla tamen calamitate victus adduci potuit vt excederet prælio aut ſyluas peteret, aut licet Romanis inuitantibus ſeſe dederet, quin fortiſsimè præliando compluréſque vulnerando cogeret elatos iracundiâ victores in ſe tela coniicere. Senatus item Bellouacorum memoratur à Cæſare, & plebis authoritas, vnde illa fuit ad Cæſarem Bellouaci Senatus excuſatio, nunquam Senatum in ciuitate tantum viuo Corbeo, quantum imperitam plebem potuiſſe.

Quid Neruiorum fortissima ciuitas, quo genere pnblicæ rectionis instituta est? Neruiorum corpus in membra dissectum est variis nominibus, Hannoniæ, Flandriæ, Brabantiæ: his enim finibus Neruiorum ciuitas fuit: nec oppidi potiùs nomen fuit Neruij, quàm hodie Hannonij, Flandri, Brabantij: Quamobrem, inquies? Etenim, inquam, Non proferam illud, quod ante disserui tum Neruiis nullum oppidum fuisse, sed nobilissimæ quondam ciuitatis fines è Cæsare descriptos proferam: Attende igitur ad ea quæ dicam, Cæsar Ambianis deditis, in Neruios qui fines Ambianorum attingebant, contendit, cúmque triduo per Nermorum fines iter fecisset, inueniebat ex captiuis Scaldim flumen à castris suis non amplius millia passuum decem abesse: Scaldis igitur iste Neruiorum medios fines præterfluens, Hannoniæ medios fines præterfluit. Quare Hannoniorum fines, Neruiorum finibus continentur. Flandriæ mediterraneæ, & Brabantiæ reliquos fines ab eodem Cæsare perdiscamus, locus est libro quinto ad eam rem peropportunus, dum Ambiorix deletis ad Eburonum Vatucam Sabino & Cotta legatis, cum legione & quinque cohortibus excitat Neruios ad similem cladē legionis, quæ apud eos præfecto Q. Cicerone hyemebat, Facilè (ait Cæsar) Neruiis persuadet: Itaque confestim dimissis nuntiis, ad

Centrones,

Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunos, qui omnes sub eorũ imperio sunt, quàm maximas manus possunt cogunt. Hæc Cæsar: At Grudij & Leuaci ad Louanium sunt Barbantiæ: Flandriæ verò, saltem mediterraneæ sunt Gorduni, id est Gandauenses, item Pleumosij, quos quidam Flandriæ Cortricenses existimant: Centrones verò in Leodiensium diœcesi statuũt, qui Pleumosios Cortricenses arbitrãtur. Hæc igitur Neruiorum tanta támque latis finibus ciuitas principẽ deligebat, vt Neruico bello primo Boduognatum: Senatum item amplissimum habebat: Sexcenti enim Neruiorum Senatores à Cæsare numerantur. Atrebatibus victis, Comium Atrebatem, regem Cæsar dedit, id est è temporario principe, perpetuum fecit, ciuitatem eius immunem esse iussit, iura legésque reddidit, ipsique Morinos attribuit: attamen regnum hoc regi ipsi diuturnũ non fuit: Atrebates enim Cæsari postea paruere, etiã dum Comius arma contra Cæsarẽ retineret. Eburones, duos reges Ambiorigem & Catiuulcũ tum habebant, sed quorum imperia eiusmodi essent, vt est quinto libro, vt non minùs haberet iuris in ipsos multitudo, quàm ipsi in multitudinem. Morinorum Respub. Heluetiorum similis fuit per varios pagos diuisa, latissiméque à Caletis secundùm Picardiæ & Flãdriæ litora syluis & paludibus ad Menapios Rheni & Mosæ confluenti,

vt Tenctherico bello manifestum est libro quarto, vicinos pertinuit. At Treuiri & genere ipso Reipub.& domesticę seditionis casu, Heduorũ simillimi fuere: De principatu Cingetorix & Induciomarus contendebant, vt illic Conuictolitanes & Cottus. Cæsar Cingetorigem restituit, vt illic Conuictolitanem. Ergo Belgicarũ ciuitatum politia triplici iustæ Reipub. formâ temperata fuit. Aquitanorum Sontiates tali rectione Reipub. videtur vsi: Ciuitas enim cùm equestri & pedestri prælio & propugnatione oppidi virtutem suam probasset, per se deditionem fecit: Verùm Adcantuanus eorum princeps cum sexcentis solduriis per se eruptionem facere conatus est. Quamobrem timocratiã Gallicarum ciuitatum tam multis exemplis satis explicatam esse arbitror, vt iam tandem Cæsarianum illum veteris Galliæ principatum concludamus, non pati suos opprimi aut circumueniri, neque aliter si princeps ipse faciat, vllam inter suos habeat authoritatem: Itaque de timocratico veteris Galliæ magisterio principatúque satis.

Quid Britanniæ Resp. quid Germaniæ qualis fuit? Britannorum princeps quarto libro memoratur eorúmque inter se de communi Britanniæ statu colloquia & consilia quintóque libro Britanniæ commune illud consilium à Cæsare notatum, quo summa imperij bellíque contra Cæsarem administrandi Casiuellauno mandata &

credita,

credita, & Britanniæ varij reges huic communi concilio ſubiecti gallicam timocratiam in Britannia demonſtrant. Germanorum etiam politiam eandem ferè Cæſar explicat, Cùm bellum ciuitas aut illatũ defendit, aut infert, magiſtratus, ait, qui ei bello præſint, vt vitæ necíſque habeant poteſtatem deliguntur. In pace nullus eſt communis magiſtratus, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos ius dicũt controuerſiáſque minuunt. Taciti ætate Germania reges quoſdam habuit, ſed honoris magis quàm potentiæ: cætera gallicis illis moribus ſimilia, Reges (ait) ex nobilitate, duces ex virtute ſumunt: Nec regibus infinita aut libera poteſtas, & duces exemplo potiùs quàm imperio, ſi prompti ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. De ducibus autem ſeu principibus, vt loquitur author idem, déque principum comitibus, hæc deinde ſunt, Eliguntur in publicis conſiliis & principes, qui iura per pagos vicóſque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, cõſilium ſimul & authoritas adſunt. Inſignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis aſsignant: Cæteris robuſtioribus, ac iam pridem probatis aggregantur nec rubor inter comites aſpici. Gradus quinetiam & ipſe comitatus habet, iudicio eius quem ſectantur. Quapropter Germanorum magiſtratus eiuſmodi Tacito fuere in regibus, du-

cibus seu principibus principúmq; comitibus. Ad Gallos equites qui belli tépore res administrant redeo. Atque equites (ait Cæsar sexto libro) cùm est vsus atq; aliquod bellũ incidit, omnes in bello versantur, atque eorum vt quisque est genere copiísque amplissimus, ita plurimos circũ se ambactos clientesque habet: hác vnam gratiam potentiámque nouerunt. Hîc nimirum gallica timocratia continuatur, nouóque argumento docemur Gallorum principes pro virtutibus ac meritis in Rempu. factos esse, principatúmque illum virtutis fuisse: Suos enim quisque principes opprimi ac circumueniri non patitur (dixit antea Cæsar): Neque aliter si faciat vllam inter suos habeat authoritatem. Hoc igitur illi iam respondet, Hanc vnam equites gratiam, potentiam nouerunt, si pro copiarum genere atque amplitudine plurimos circum se ambactos & clientes habeant, ambactos, inquam, nempe obœratos de quibus antea, ideóque in seruitutem equitibus ipsis dicatos: Ambacti enim aurigæ dominis erát, scutum ferebánt. Clientibus verò vt est libro septimo nefas erat vel in extrema fortuna deserere patronos: Sic igitur equitibus & dominis ambacti, & patronis clientes in prælijs aderant. Hi Germanorum comites erát, de quibus Tacitus, Magna (ait) & comitũ æmulatio (quibus primus apud principem suum locus) & principum, cui plurimi & acerrimi comites

mites: Hæc dignitas, hæ vires magno semper electorum iuuenum globo circundari in pace decus, in bello præsidiũ. Nec solùm in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetũtur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipsa plerúmque famâ, bella profligant: Cùm ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comiti virtutem principis non adæquare. Iam verò infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse: Illũ defendere, tueri, sua quoq; fortia facta, gloriæ eius assignare præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Comitum etiam à principe sua remuneratio apud Tacitum est, Exigunt enim (ait) principis sui liberalitate illum bellatorem equũ, illam cruentam victricémque frameam: Nam epulę & quanquam incompti: largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Sed quænam, inquies, equitibus Gallis & hanc alteram Reipub. partem gerentibus remuneratio fuit? Druydibus enim sua illa minerualia dicta sunt: honor (inquam) id enim præmium est virtutis amplissimum: Attamen ipsa suis opibus Respub. remunerari non ingratè poterat, cùm publica ciuitatum portoria & vectigalia essent, vt è libro primo intelligitur: & tributi magnitudo è sexto libro nota est. Hanc ve-

rò principis remunerationem Tacitus in Germanis insignem declarauit, Mos est ciuitatibus vltrò ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam, necessitatibus subuenit: Gaudent præcipuè finitimarum gentium donis, quæ non modò à singulis, sed publicè mittuntur, electi equi, magna arma, phaleræ torquésque. Iam & pecuniam accipere docuimus. Sed reliquos Reipub. gallicæ mores exequamur. Accusauit sæpe Cæsar subita & mobilia Gallorum consilia, sed illo imprimis quarti cōmentarij loco, Est autē hoc gallicæ consuetudinis, vt & viatores etiam inuitos consistere cogant, & quod quisque eorum de quaque re audierit aut cognouerit, quærant, & mercatores in oppidis vulgus circūsistat, quibúsque ex regionibus veniant, quásque ibi res cognouerint pronuntiare cogat. Fuit verò Gallis veteribus rerum nouarum mirabilis illa quidem non cupiditas solùm, sed etiam inter se cōmunicatio & significatio: Exempla facti mirabilis duo proferam, primum est libro quinto de victoria Cæsaris contra Neruios, Interim ad Labienum per Rhemos incredibili celeritate, de victoria Cæsaris, fama (ait Cæsar ipse) perfertur, vt cùm ab hybernis Ciceronis millia passuum quinquagintà abesset, eóque post horam nonam diei Cæsar peruenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum, clamor oriretur, quo clamo-

re,

re, ſignificatio victoriæ gratulatióque ab Rhemis Labieno fieret. Verùm illud imprimis eſt inſigne de fama interfectorum Romanorũ oriente hyberno ſole Genabo ante primam vigiliam in Aruernos perlata, Celeriter (ait Cæſar libro ſeptimo) ad omnes Galliç ciuitates fama perfertur: Nam vbi maior atque illuſtrior incidit res, clamore per agros regionéſque ſignificãt: hanc alij deinceps excipiunt & proximis tradunt, vt tum accidit: nam quæ Genabi oriente ſole geſta eſſent, ante primam confectam vigiliam in finibus Aruenorum audita ſunt, quod ſpatium eſt millium paſſuum circiter centum ſexaginta. Hæc Cæſar, vnde fortaſſe videri poſsit orta ſingularis illa apud Maronem famæ deſcriptio,

Fama, malum quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget viréſque acquirit eundo.

Par enim celeritas & efficientia clamoris huius à Cæſare, & famæ illius à Marone deſcribitur. Ergo hæc de fama gallica, cuiuſmodi rumoribus atque auditionibus permoti Galli, de ſummis ſæpe rebus conſilia ineũt, quorum eos è veſtigio pœnitere neceſſe eſt, cùm incertis rumoribus ſeruiãt, & pleríque ad voluntatem eorum, ficta reſpondeant. Hæc Cæſar: ſed idem, qui plebeiam Gallorum leuitatem arguit, politicam eorum conſtantiam ſapientiámque commendat, Quæ ciuitates (ait libro ſexto) commodiùs ſuam Rempub. adminiſtrare exiſtimantur, ha-

bent legibus ſancitum, ſi quis quid de Repub. à finitimis rumore aut fama acceperit, vti ad magiſtratum deferat, néue cum quo alio communicet, quòd ſæpè homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere cognitum eſt. Magiſtratus, quæ viſa ſunt occultant, quæ eſſe ex vſu iudicauerint, multitudini produnt. Hic poſtremus Cæſaris locus valde plebis illam ſeruitutem refellit, indicat enim etiam in ciuitatibus, vel quæ commodiùs Rempub. ſuam adminiſtrarent, tamen plebi ſuum locum fuiſſe, cùm ad multitudinem, magiſtratus vtilia rerum capita referrent. Addit Strabo libro quarto id in Gallorum conciliis vſitatũ fuiſſe, ſi quis orantem interpellaret, progrediẽs miniſter publicus diſtricto gladio, adiectíſque minis ſilentium imperabat, quòd ſi non acquieſceret, idem iterum tertióque faciebat: denique de ſago interpellatoris tantum amputabat, vt reliquum inutile redderetur. Tacitus, Germanorum comitia & conſilia vt cætera ſubtiliùs exponit, De minoribus (ait) rebus, principes conſultant, de maioribus omnes: ita tamen, vt ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur. Coëunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cùm aut inchoatur luna aut impletur: Nam agẽdis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt:

Nec dierum numerũ vt nos, sed noctium computant: Sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitiũ, quod non simul nec iussi conueniunt, sed & alter & tertius dies cunctatione coëuntium absumitur. Vt turbæ placuit, considunt armati. Est verò etiam eiusdem authoris illud de Germanis admirabile, de reconciliandis inuicem inimicis & iungendis affinitatibus & asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerúmque in cõuiuijs consultant, tanquam multò magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentiâ ioci. Ergo detecta & nuda omnium mẽs postera die retractatur, & salua vtriusque temporis ratio est: Deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non possunt. Fuit verò Gallici concilij patrium illud, & antea in armato delectus militaris concilio propositum, Gallos ad concilium armatos conuenire, quòd Liuius libro tricesimo primo de Gallis exposuit: In his (ait) noua terribilisque species visa est, quòd armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt. Ergo veterum Gallorum armata Pallas, in concilium etiam venit: Imò etiam tubâ, ne quid Martium à Gallicis animis abesse existimes conuocatur: sic enim Hircius de Bellouacorum Senatu, Omnibus aduersis cognitâ

calamitate, interfecto Corbeo, amisso equitatu & fortissimis peditibus cùm aduentare Romanos existimarent, concilio repentè tubarum cãtu conuocato, conclamant vt legati obsidésque ad Cæsarem mittantur.

Quid Germani? quibus insignibus ornati cõcilium adeunt? an etiam illis ista conciliorum sunt insignia? Nihil (ait Tacitus) neque publicæ neque priuatæ rei, nisi armati agunt, tum ad negotia, nec minus sæpe ad conuiuia procedunt armati. Ergo Gallorum concilia, vt fortia, sic armata erant. Dixit quondam Romanus orator in suam laudem illud effusiùs,

Cedant arma togæ. ---

Quòd arma belli, toga pacis, cuius eloquentia comes & socia sit, esset insigne: Et cùm Romanum forum militibus armatis septum in iudicio Milonis esset, non solùm animo pertimuit, sed toto corpore perhorruit: At Gallorum armis amica eloquentia est, locúsque & tempus idem imperatoribus & oratoribus conuenit: & Gallus orator armorum splendore ad fortiùs agendum dicendúmque animatur. Orant in Gallorum concilijs principes, vel omnino quorum de re caussáque agitur, vt exemplis apud Cæsarem manifestũ est. Apud Germanos (ait Tacitus) in publicis concilijs Rex vel princeps prout ætas cuique, prout nobilitas, prout locus bellorum, prout facundia est, audiuntur, authoritate sua-

dendi

dendi magis, quàm iubendi poteſtate: licet apud concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis intendere: Romanis oratoribus acclamationes audientis populi, vel ſecundæ vel aduerſæ ſigna probatæ vel improbatæ orationis erant: At armatæ concionis apud Gallos ab ipſis armis ſigna hæc peti decuit. Ergo crepitus armorum aſſenſionis ſignũ & probatæ ſententiæ velut applauſus apud Gallos fuit. Sic de Vercingetorigis oratione ſeptimo libro Cæſar, Cõclamat omnis multitudo, & ſuo more armis concrepat, quod facere in eo conſueuerunt, cuius orationem approbant: Sic apud Marcellinum libro viceſimo primo Iulliano cõcionanti, Gallorum exercitus applaudit, vocéſque horrendas immani ſcutorum fragore permiſcet. Gallicum conſilium armis initur, Gallica eloquentia armis approbatur: Gallicum etiam iuſiurandum ab armis exigitur. Carnutes, vt eſt ſeptimo libro, principes ſe belli contra Romanos, in conſilio Gallorum, fore pollicentur: & quoniam in præſentia obſidibus cauere inter ſe non poſſent ne res efferatur, vt iureiurando ac fide ſanciatur, petunt collatis militaribus ſignis, quod more eorum grauiſſimâ ceremoniâ continetur, ne facto initio belli à reliquis deſerãtur. Atque illud eodem libro ſanctiſſimũ nempe iuſiurandum eſt de prælio equeſtri confirmando. Conclamant equites ſanctiſſimo iureiurando

confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ad vxorem aditum habeat, qui non bis per hostium agmen perequitasset. Cui simile est illud apud Marcellinum de Iulliano, libro vicesimo primo, Iussi vniuersi in eius nomen iurare, solenniter gladijs, ceruicibus suis, admotis sub execrationibus diris verbis iurauere conceptis. Quid Germanus orator? quibus indicijs eloquentiæ suæ vires intelligit? Si displicuit (ait Tacitus) fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare. Sed iam perorandi tempus est. Quamobrem veteris Galliæ mores, temperãtiam in vita victúque, fortitudinem in periculis, prudentiam in artibus & disciplinis, iustitiam in his ipsis moribus timocratico Reipub. genere conformandis & instituendis sic expositos habemus, nouæ Galliæ mores, si quando confectis propositarum vigiliarum studijs paulò maior otij libertas acciderit, maiore, vt spes est, sicuti rerum dignitate & gratiâ, sic animi alacritate lætitiáque prosequemur.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Fol. 3. *pag.* 1. *lin.* 5. *morem*. 11. 2. 16. *oppidum*. 16. 2. 21. *terga*. 17. 1. 20. *obsidetur*. 24. *decernunt non*. 21. 1. 11. *conuersurus*. 22. 1. 2. *annorum*. 2. 15. *vt est secundo*. 31. 1. 23. *constitui*. 32. 1. 16. *alternis*. 29. *vineásque*. 2. 14. *auertebant*. 33. 2. 15. *instructã*. 25. *altitudinẽ*. 38. 1. 20. *floruerit*. 41. 1. 3. *musas in* 14. Diodorus. 2. 28. *hos*. 46. 1. 22. *vates appellantur*. 2. 13. Deiotarus. 49. 1. 4. Romanorum. 55. 1. 13. Druydum. 57. 1. 24. *damnatæ*. 58. 2. 4. *syluestri*. 66. 1. 12. *duce*. 68. 2. 28. *hyemabat*. 69. 2. 24. *principes memorantur*. 70. 2. 17. *potentiámque*.

